





DE
DIONIS CHRYSOSTOMI
ORATIONIBUS, QUAE INSCRIBUNTUR
DIOGENES
(VI, VIII, IX, X.)

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONCESSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HAHN

FRANCOFURTENSIS.

HOMBURGI IN MONTE TAUNO

APUD J. G. STEINHÆUSSER

MDCCCXCVI.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
U. de Wilamowitz-Moellendorff Prof.
Examen rigorosum habitum est die XVIII mens. Dec. a. h. s. XCV.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

Postquam anno 1882 Ferdinandus Duemmlerus in dissertatione, quam insripsit „*Antisthenica*“ multa ex Dionis Prusaensis, quem vocant Chrysostomum, orationibus cynicis fontibus esse debita demonstravit, paucis annis post Ernestus Weberus accuratius de his rebus cum quaestionem instituisset, in studiorum Lipsiensium decimo volumine dissertationem *de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore* publici iuris fecit, qua omnia cynicae philosophiae vestigia per Dionis orationes sparsa collegit et illustravit. Ex iis vero orationibus, quae inscribuntur Diogenes, fere omnia ad veteres Cynicos redire dum argumentatur, Dionem ipsum nimis neglexit.

Debebat enim, antequam fontes investigare conaretur, accuratissime quaerere, quae singularum orationum partes essent, quomodo Dio res tractavisset et digessisset, quae inter singulas partes ratio intercederet, quomodo singulae partes, particulae, sententiae totius argumento satisfacerent; haec omnia parum curans utebatur Dione, ex quo quam maximam copiam cynicae philosophiae reliquiarum enuclearet. Quo factum est, ut multis locis et de orationibus et de oratore falsum ferat iudicium. Idem, quod a Webero, neglectum videmus a Paulo Hagen, qui eodem anno, 1887, *Quaestiones Dioneas* scripsit.

Qui viri docti, quamquam optime de Dione cognoscendo et intelligendo meriti sunt, certiora invenissent, si illam, de qua supra dixi, quaestionem accuratius instituissent. Itaque ad rem ita accedamus, ut primum videamus, num quid ipse Dio dicat de consilio, quo ductus orationes illas habuerit

vel conscripserit, et de fontibus, quibus usus sit. Deinde ad singulas orationes nos convertentes quaeramus, quod eorum sit argumentum, quo consilio scriptae, in quas partes dividendae sint, qua ratione partes inter se cohaereant, num ei, quod Dio sibi proposuerit, satisfaciant, denique, num quid ex orationibus ipsis de fontium numero et genere discamus. Tum tandem in Graecorum litteris circumspiciamus, num aliis auctoribus allatis accuratius fontium naturam perspiciamus. Quod cum faciam, spero me certiora investigaturum esse, quam alii, qui adhuc de hac re scripserunt. Tamen numquam obliviscar, quantum illis viris doctis, imprimis Webero opusculum meum debeat. Sad nunc, age, rem aggrediamur.

Proficiscendum esse putavi ab iis, quae H. de Arnim, qui *in Hermae volumine XXVI* de Dionis Prusaensis scriptis disseruit, recte mihi indagavisse videtur. Ubi Synesio teste usus exposuit Dionis exstitisse συχνοὺς Διογένας καὶ Σωκράτας, id est, non paucas orationes, quae Diogenis et Socratis nomine inscriptae fuissent, hasque orationes a Synesio lectas esse uno corpore coniunctas; ex quibus tantum ‚Diogenes' servatos esse, perditis ‚Socratibus', sed praefationem, quam Dio his praemittere solitus esset, nobis servatam esse in oratione LIV; ceterum ob verbum συχνούς verisimile esse etiam ex Diogenibus non nullas periisse. Accedit, quod non solum uno corpore legebantur illa duo orationum genera, sed etiam aliis in Dionis orationibus, velut or. LXXII, inveniuntur loci quidam, in quibus Socrates et Diogenes, philosophi illi maxime inter se similes, una nominantur eademque de utroque proferuntur.

Quae si tenemus, sub uno aspectu nobis et ‚Socrates' et ‚Diogenes' ponendi sunt. Si quid igitur in ‚Socratum' prooemio sive in aliis Dionis orationibus investigaverimus, quod ‚Socratibus' lucem afferat, certe hoc etiam ad ‚Diogenes' referre nobis licebit.

Proinde videamus num ex illo prooemio, quod or. LIV exstat, concludere possimus, quo consilio ductus Dio illas orationes composuerit. Ac primum de ingenio moribusque sophistarum, qui Socratis aetate in Graecia fuerint, exponit iisque exemplum virtutis et sapientiae Abderitam illum

opponit et Socratem Atheniensem, pauperrimum virum humilique loco natum; quibus verbis introducit Socratem tamquam virum, de quo postea uberius disserturus sit. Deinde natura eius paucis adumbrata pergit: ἀλλὰ δὴ τῶν μὲν θαυμαζομένων ἐκείνων σοφιστῶν ἐκλελοίπασιν οἱ λόγοι καὶ οὐδὲν ἢ ὀνόματα μόνον ἔστιν. Qua sophistarum mentione facta magis illustrantur, quae sequuntur; iterum enim iis opponitur Socrates: οἱ δὲ τοῦ Σωκράτους οὐκ οἶδ' ὅπως διαμένουσι καὶ διαμενοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον. Sed quamquam etiamtum omnibus noti sunt (Σοκράτους λόγοι) et ab omnibus maxime laudantur, tamen ὀλίγοι συνιᾶσι καὶ μετέχουσιν.

Quod qui dicit, profecto animum induxit, ut eos, Σωκράτους λόγους, qui tum a paucis intellegerentur, explicaret et illustraret, quo melius a pluribus perciperentur. Itaque non id sequitur, ut Socraticae philosophiae doctrinam et rationes doceat, sed illa Socratis verba, illam Socratis vivam, ut ita dicam, vocem, qua ille tot saeculis ante homines ad virtutem excitaverat, quasi etiamtum viventem hominibus praestet. Atqui hoc in iis quoque, quae inscribuntur Diogenes, orationibus valere putandum est. Ergo ne in his quidem philosophiam maxime spectat, sed Διογένους λόγους.

Manifestius hoc apparebit collato alio Dionis loco, qui est or. LXXII §11 οὗτοι προσίασιν οὓς ἂν ἡγῶνται φιλοσόφους ἀπὸ τῆς στολῆς, ὡς ἀκουσόμενοί τι παρ' αὐτῶν σοφὸν καὶ ὃ οὐκ ἂν παρ' ἑτέρου ἀκούσειαν, πυνθανόμενοι καὶ περὶ Σωκράτους, ὅτι σοφός τε ἦν καὶ διαλέγοιτο τοῖς προσιοῦσι λόγους φρονίμους καὶ περὶ Διογένους ὅτι καὶ αὐτὸς πρὸς ἅπαντα εὐπόρει λόγου καὶ ἀποκρίσεως, et paulo infra: ἀπὸ δὴ τῆς τοιαύτης δόξης, ὡς καὶ παρ' ἡμῶν ἀκουσόμενοί τι τοιοῦτον, οἷον Αἴσωπος ἔλεγεν ἢ ὁποῖον Σωκράτης ἢ ὁποῖα Διογένης, προσίασι καὶ ἐνοχλοῦσι καὶ οὐ δύνανται ἀπέχεσθαι ...... Homines igitur, qui Dionis orationes audire solebant, eum ceterosque philosophos peregrinantes non Socraticae et cynicae philosophiae primarias rationes demonstraturos exspectant sed aliqua eos narraturos ex iis quae Socrates et Diogenes fecerint et dixerint; delectabantur, cum audirent, quomodo Socrates obvios admonuisset ex tempore et subita oratione, qua in respondendo celeritate sagacitate facetia fuisset Diogenes.

Id eos spectare vel ex mentione Aesopi facta elucet, luce clarius autem fiet, cum orationes VI, VIII, IX, X, perlustraverimus. Sed cum homines haec a Dione exspectare dico, non dico Dionem tantum hominum delectandorum causa orationes suas habuisse, verum id philosophus noster sibi proposuit, ut eos, qui se audirent, meliores redderet; ob hanc quoque causam veteres philosophos, quos magis quam recentiores ab hominibus aestimari videbat, adhibere solebat. Sequebatur, ut in talibus orationibus, ubi, quae alii ante eum dixerant, referebat, magis quam in reliquis se veteribus auctoribus et fontibus applicaret.

Quaerentibus igitur, num quid ipse Dio dixerit de fontibus, quos in reddendis Socratis et Diogenis λόγοις secutus sit, primus occurrit locus or. LXXII § 11 τὰ μὲν τούτου καὶ διαμνημονεύουσιν οἱ πολλόι, τὰ μέν τινα ἴσως εἰπόντος αὐτοῦ, τά δὲ καὶ ἄλλων συνθέντων. Dionis igitur sententia illa scripta, ex quibus ipse suos Διογένους λόγους hausit, genuina non sunt. Ut enim Socrates nihil scripsit,*) ita quae Diogenes docebat, non a Diogene ipso litteris mandata sunt, sed cum propter praestantiam in omnium ore fuissent, ab aliis multis memoriae prodita sunt, dicit enim: διαμνημονεύουσιν. Quam igitur fidem Dio auctoribus suis attribuerit, ex hoc loco luce clarius cognoscitur. Ex iis enim, quae sub Diogenis nomine cirumferrentur, alteram partem omnino non ad Diogenem redire, sed ab aliis, nimirum post Diogenem, fictam et compositam esse sibi persuaserat, alteri parti aliquanto maiorem fidem tribuit, cum dicat eam fortasse ad ipsius Diogenis dicta redire, quae ab aliis litteris mandata sint. Itaque Dio ipse fontibus suis multo minorem fidem habet, quam Weberus.

Accedit alter locus, or. IV § 1; nam hic quoque Dio Διογένους λόγους referre sibi proposuit, vel, ut accuratius dicam, dialogum Alexandri cum Diogene. Quo de dialogo multis in fontibus varie agebatur, nam legimus: ταῦτα δὲ λέγουσι καὶ γράφουσι πολλοὶ τὸν Διογένη ἀγάμενοι τῆς παρρησίας καὶ τὸν Ἀλέξανδρον οὐχ ἧττον θαυμάζοντες καὶ ἐπαινοῦντες ὅτι ...... οἱ

*) cf. or. LIV.

γὰρ ἄνθρωποι χαίρουσι φύσει πάντες τιμωμένην ὁρῶντες φρόνησιν ὑπὸ τῆς μεγίστης ἐξουσίας τε καὶ δυνάμεως, ὥστε οὐ μόνον τἀληθῆ διηγοῦνται περὶ τῶν τοιούτων, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ πλάττουσιν ὑπερβάλλοντες, προσέτι καὶ τἄλλα ἀφαιρούμενοι τῶν φρονίμων, οἷον χρήματα καὶ τιμὰς καὶ τὴν τοῦ σώματος δύναμιν, ὅπως διὰ μόνην δόξωσι τιμᾶσθαι τὴν ξύνεσιν. Homines igitur res non tales narrant, quales fuerunt, sed certo quodam consilio ducti mutant, amplificant, exornant. Ita celeberrimum illud Diogenis et Alexandri colloquium ubi narrabant, cum demonstrare vellent τιμωμένην τὴν φρόνησιν ὑπὸ τῆς μεγίστης ἐξουσίας, omnia, quae huic consilio non satisfaciebant, silentio praeteriebant, alia, quae ad illustrandum illud idonea videbantur, addebant; quoniam autem multi hoc faciebant, maxima varietate illud colloquium narrabatur. Itaque Dio in fontibus suis verum illud colloquium, quale fuerit, traditum non esse, sed vera cum falsis vario modo confusa sibi persuasit. Ergo, cum certum ex iis quae tradita erant, cognoscere non posset, coniectura studebat probabilia sequi: ὡς δὲ εἰκὸς ἐκείνοις γενέσθαι τὴν ξυνουσίαν εἴποιμ᾽ ἄν; cum autem dubium non sit, quin Dio multos scriptores, qui de illo colloquio egissent, noverit multaque, quae de Diogene narrarentur vel illi ascriberentur, legerit, habuit sane materiam haud exiguam, ex qua imaginem sibi animo fingere posset vitam mores ingenium Diogenis praebentem. Qua ex imagine et sententia fluxerunt ea, quae ipse de illo colloquio exponit. Res igitur, quas multis ex fontibus contulerat animoque tenebat, multa libertate usum eum composuisse puto, quoad evaderet colloquium, quale Diogenis naturae et ingenio aptum fuisse iudicabat. Nos vero, cum ne Dio quidem orationi suae veritatis laudem vindicet, vix maiorem debemus ei fidem tribuere. Similiter autem etiam in orr. VI, VIII, IX, X rem se habere iam nunc conicere possumus. Nam ut illud Alexandri et Diogenis colloquium varie a multis narrabatur, ita etiam alia multa, quae de Diogene circumferebantur, vario modo memoriae prodita esse ex rei natura sequitur, praecipue autem quae ad cynicas diatribas componendas idonea videbantur, saepe in Cynicorum scriptis, ex quibus Dio hausit, tractata esse verisimillimum est vel, ut Dionis verbis utar, etiam in aliis rebus homines, qui Diogenea litteris mandabant, οὐ μόνον

τἀληθῆ διηγοῦνται περὶ τῶν τοιούτων, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ πλάττουσιν ὑπερβάλλοντες ——, ubi verbum τοιούτων nescio an probet Dionem non de illo colloquio solo hanc sententiam protulisse.

Itaque, praesertim collato illo or. LXXII loco, non credo Dionem iis, quae orr. VI, VIII, IX, X narrabat, multo maiorem veritatem vindicasse, quam iis, quae or. IV leguntur.

Reliquum est, ut ex or. XIII § 14 quid lucremur, videamus, ubi Dio narrat se saepe, cum homines admoneret, Socratis verbis usum esse: ἀνῆγον ἐπί τινα λόγον ἀρχαῖον, λεγόμενον ὑπό τινος Σωκράτους — οὐ μέντοι προσεποιούμην ἐμὸν εἶναι τὸν λόγον, ἀλλ' οὕπερ ἦν, καὶ ἠξίουν, ἂν ἄρα μὴ δύνωμαι ἀπομνημονεῦσαι ἀκριβῶς ἁπάντων τῶν ῥημάτων μηδὲ ὅλης τῆς διανοίας, ἀλλὰ πλέον ἢ ἔλαττον εἴπω τι, συγγνώμην ἔχειν. Non igitur ad verbum fontes exscribere, quibus ne ipsis quidem magnam fidem tribuere solebat, sed quod in fontibus legerat memoriaque tenebat, libere ἀπομνημονεῦσαι studebat, ne τὴν διάνοιαν quidem accurate exprimens.

Qua vero ratione hunc Σωκράτους λόγον elocuturum se promittit, eadem, ubicunque ἀρχαίους λόγους referret, egisse putandus est; itaque etiam in orr. VI., VIII., IX., X componendis idem libere fontibus utendi ius eum sibi servasse suspicari debemus.

Ut accurate omnia talia exponat, qualia a Diogene exposita accepit, neque Dionis, cum illas orationes haberet, consilii erat neque postulabatur ab iis qui eum audiebant; nam hi non tam fidem historiae, quam ut Diogenis dictis et praeceptis audiendis animo delectarentur, spectabant.

Quae adhuc exposui si tenemus iam conicere nobis licebit fore, ut in orationibus VI. VIII. IX. X. multa occurrant Dionea, multa a scriptoribus, qui de Diogene scripserunt, conficta, nonnulla, quae fortasse ex ipsius Diogenis diatribis originem duxerint, accuratius autem hoc nos cognituros esse spero singulis illis orationibus tractatis.

De oratione VI.

Orationis VI argumentum latet in § 7: ἐνεδείκνυτο (Diogenes) τοῖς θαυμάζουσι τὸν πλοῦτον τοῦ Πέρσου καὶ τὴν λεγομένην εὐδαιμονίαν ὅτι οὐδέν ἐστι τῶν ἐκείνου πραγμάτων οἷον

νομίζουσιν. Τῶν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος εἶναι, τὰ δὲ καὶ <τοῖς> *) σφόδρα πένησιν ἐξεῖναι ποιεῖν. Haec iure a Diogene dicta esse duplici ratione demonstratur, cum priore orationis parte vita frugalis et secundum naturam agenda laudetur, altera regis Persarum misera condicio summo colore depingatur. Tota autem explicatio Diogenis ipsius verbis profertur aut, quomodo Diogenes vitam gesserit quidque ad commendandam suam vivendi consuetudinem dixerit, narratur. Diogenes igitur velut cardo est, Diogenis autem χρεία, qua cum Persarum rege se comparavisse dicitur, vinculum est, quo singulae orationis partes contineantur.

Quam chriam Dio § 1—6 narrat, tum a ioco (ταῦτα δὲ εἰώθει μὲν παίζων λέγειν) ad serium transiens dicit homines Persae invidentes gravi errore capi, nam aut vanas aut pauperrimo cuique aeque paratas esse illius delicias neque enim Diogenem ipsum corporis curam sprevisse e. q. s. His verbis transitum parat ad priorem tractationis partem, ad vitam cynicam, id est vere humanam, describendam, ut quam verum sit, quod antea dixerit, comprobet.

Accedamus nunc ad priorem tractationis partem, quam littera A mihi liceat notare. Narratur, qua ratione Diogenes omnia, quae natura secum ferat aut postulet, tulerit et ita secundum eam semper vixerit:

§ 8 refelluntur ii, qui Diogenem putabant corpus neglegere. Immo eum multo meliore, ait, valetudine usum esse, quam ceteros homines, multo iucundiorem egisse vitam.

Haec in iis, quae sequuntur, sententiis articulatim exponuntur:

§ 9 et 10 describitur quomodo anni aetates tulerit, aestum, frigus, hiemem, aestatem,

§ 11. 12. 13. quanto suaviora ei fuerint potus, cibos, venerem, quam aliis, quoniam anteierit cupiditas eorum,

§ 14. 15 agitur de domicilii et vestis simplicitate,

§ 16—20 de facillimo naturae necessitatibus satisfaciendi modo.

---

*) τοῖς inseruit Wilamowitzius.

His omnibus rebus tractatis satis videtur multa argumenta attulisse, quibus demonstraret vel pauperrimos homines iucunde et beate vivere posse. Tamen plura affert; nam § 21, ut μὲν οὖν docet, transitum parat ad novam partem. Quam partem, quae in longiore et nova Diogenis disputatione referenda versatur, si accuratius legimus, admirationem nobis movet, quam multis locis α (8—20) et β (21 seqq.) congruant, sive verbis sive sententiis sub verbis latentibus:

α	β
§ 13 ἐκεῖνα γὰρ	§ 22 ὕδατι μὲν ποτῷ ......
§ 11 δέονται δὲ	§ 23 δεῖσθαι δε ......
§ 15 τοὺς δὲ πόδας	§ 28 ἐπεδείκνυε δὲ ......
§ 10 seqq.	§ 30 ὁπόσα μὲν οὖν ......
§ 9 ταῖς δὲ ὥραις	§ 30 ἀλλὰ καὶ τόπους ......
§ 12. 13.	§ 31 καὶ τροφῆς ......
§ 14. 15.	§ 31 καὶ ἐσθῆτος ......

Praeterea in utraque parte pravae hominum vivendi consuetudini laus vitae naturalis, que est cynica, opponitur; itaque, si in utraque parte sententiam totius explicationis spectamus, utramque iuveniemus idoneam esse, quae argumentum illud illustret. Nam si animalia beate vivunt, etiam pauperrimo id facere licet (τὰ δὲ καὶ <τοῖς> σφόδρα πένησιν ἐξεῖναι ποιεῖν). Sed licet multis in rebus congruant inter se α et β, tamen magna sunt discrimina.

In parte α enim Dio articulatim narrat quomodo in singulis rebus Diogenes se gesserit, atque his singulis consuetudinibus narratis, quae de iis Diogenes docuerit et praescripserit, addit. Itaque singularum rerum narratarum duas particulas discernere possumus, quarum altera verba Dionis narrantis, altera dicta vel sententias Diogenis praebet. Exempli causa afferam hos locos, ex quibus, quid censeam, manifestissime eluceat:

§ 12	ὁ δὲ λιμῷ μὲν ἐχρῆτο	καὶ ἐνόμιζε ......
,,	ἥδιον δὲ ἔπινε κατεγέλα δὲ	καὶ ἔφασκεν
§ 15	τοὺς δὲ πόδας οὐδέποτε ἔσκεπε	οὐγὰρ ἔφη ......
§ 17	οὐγάρ ἔδει αὐτὸν	ἀλλὰ παίζων ἔλεγεν
,,	ἐν τῷ φανερῷ ἐχρῆτο	καὶ ἔλεγεν.

In parte β autem cum solum, quid Diogenes docuerit, afferatur, omnia enuntiata pendent a verbis dicendi, sunt igitur enuntiata Diogenis, non Dionis (de § 30 seq. postea dicam).

Deinde in parte α singulis consuetudinibus Diogenis hominum prava ratio opponitur, in parte β autem primum narratur, quomodo animalia vivant, tum hominum pravitas vituperatur: hic nihil expresse de Diogenis moribus, (hic quoque in praesens § 30 eximo) illic rarissime tantum de animalibus agitur. Quod ut uno exemplo comprobetur, videamus, quomodo § 15 et quomodo § 27 demonstretur homines tegimentis non egere: hic animalia, illic hominum facies et oculi argumento sunt.

Tum, quod partis α initium fuit, partis β finis est; nam illic initio, qua ratione Diogenes vixerit, narratum est, hic demum postquam ex animalium consuetudinibus recta vivendi ratio petita est, dicitur hanc rationem Diogenes secutus esse, ὁπόσα μὲν οὖν πολυδάπανα……; non igitur mirum est his enuntiatis (§ 30 seq.) nonnulla, quae antea iam exposita erant, alterum vel tertium proferri; ad aliam, quae his sententiis inest, difficultatem postea accedam, nunc aliud sequor.

Re et consilio tota pars α illa quidem simplex et una est, scripta, ut Diogenis mores et vivendi praecepta demonstrarentur. Sed nonne ex rei natura sequitur verisimile esse Dionem, cum quae de Diogene circumferebantur, narraret, plures auctores talia tradentes ante oculos habuisse, ex quibus narrationem suam conflaret? Videamus num ipse nobis discernendi ansam praebeat. Videmus enim non omnes res, quae narrantur, aequaliter tractatas esse putaverimque post § 13 disiunctionem faciendam esse. Nam ante § 14 Diogenes ea re maxime hominibus contrarius est, quod sanitati et voluptati melius, quam illi curet, inde a § 14 autem laudatur ob eam rem potissimum, quod modestius et simplicius vivat, quam homines. Quas duas species multa inter se habere communia consentaneum est, neque inter se oppositae sunt, verum tamen discrimen est; quod duobus exemplis illustrabo: Primum enim ratio, qua res venerea § 12 tractatur et qua § 16—20 non eadem est: § 12 minime de simplicitate desi-

derii naturalis explendi agitur, sed exponitur homines iis non delectari, cum ea appetere non didicissent, διὰ τὸ μὴ περιμένειν ὀρέγεσθαι; § 16—20 solum de simplicitate, qua Diogenes in illa re fuerit, agitur, iucundius autem et sanius ob eam rem Diogenes vivere non dicitur. Deinde quod legimus § 14 ἱμάτιον δὲ ἓν ἐξήρκει τοῦ θέρους αὐτῷ καὶ τοῦ χειμῶνος· τοῦ γὰρ ἀέρος ἠνείχετο ῥᾳδίως, ἅτε δὴ συνήθης αὐτῷ γενόμενος, iam antea alia ratione expositum est. Hic enim Dio simplicitatem spectat, antea autem (§ 10) exposuerat, quanto magis Diogenes valetudini curaret. Accedit, quod § 8—13 Dio narrat, deinde Diogenis dicta refert, quae quidem, quamvis idem fere ostendant, tamen alium quasi aspectum praebent. Atqui, ut iam dixi, verisimile est Dionem, cum haec scriberet, plures fontes novisse. Nam, quae de Diogene tradebantur, cynicae sectae ut ita dicam evangelium fuit, in omnium ore versabantur, quae ille fecisset, quae dixisset; multi scriptores, non solum Cynici, sed etiam Stoici, cum recte vivendi praecepta darent, Diogenem velut exemplum summae virtutis hominibus ante oculos ponebant et de eius vita et vivendi ratione hoc vel illud narrabant; in multis rebus philosophi, quae iam ille dixisset de eadem re, referebant, quibus ipsorum praecepta commendarent. Ut exemplum afferam, pervulgatissimumne fuit illud Diogenis de fame dictum; quod Dio § 12 exhibet? Adde apophthegmatum et chriarum collectiones (de quibus Duemmlerus in *Antisthenicis* pg. 69 seqq. disseruit). Dioni igitur uberrima, ex qua haurire posset, copia fuit; itaque, si duas particulas (partis α), quarum in utraque de Diogenis moribus et praeceptis agitur, habemus diversa ratione scriptas, nonne diversis fontibus eas tribuere debemus, in quibus Diogenis dicta diverse tradita erant?

Sed num § 8—20 in etiam minores particulas distrahere debeamus, pro natura et earum rerum, quae hic narrantur et pro ipsius Dionis indole, qui, quae memoria tenebat, optime componere sciebat, statui non poterit. Tamen hoc coniciam, § 16—20, ubi Diogenis de re venerea dicta referuntur, non uni fonti Dionem debere. Neque concinunt quidem inter se sententiae, cum § 20 ταύτην τὴν συνουσίαν non ad id, quod proxime antecedit, respiciat, sed ad § 17. Praeterea vel eo

comprobatur coniectura mea, quod Diogenis de hac ipsa re dicta innumerabilibus scriptorum veterum locis tradita sunt*).

Itaque, ut quae de partis α fontibus dicenda sint, paucis complectar, videntur mihi ea, quae hic legimus, compluribus auctoribus deberi, quantus autem eorum sit numerus, nos fugit neque, si accidat, ut etiam apud alios cynicae philosophiae testes complures earundem, quas hic habemus, rerum coniunctas inveniamus, putandae sunt etiam in Dionis fonte coniunctae fuisse. Nam cum de Diogenis moribus et vivendi praeceptis ageretur, magis, quam in ulla explicatione, ex rei natura sequebatur, ut eaedem res afferantur.

Age nunc partem β solam aspiciamus, quae quo consilio scripta sit, non difficile est cognoscere. Nullo enim verbo nos ad § 7 reducente demum § 34 transitionis ad partem B faciendae causa ad propositum revocamur, neque usquam in ea de tyrannorum condicione agitur sed in universum de omnium hominum mollitie et luxuria disputatur. Argumentum igitur huius partis habemus in verbis § 21 ἔλεγε δὲ διὰ τὴν μαλακίαν τοὺς ἀνθρώπους ἀθλιώτερον ζῆν τῶν θηρίων. Omnium malorum hominibus causae sunt μαλακία καὶ τρυφή, quarum auctor Prometheus, cum ignem, originem τῆς πολλῆς ἐπιμελέιας καὶ προμηθείας, hominibus dederit, iure punitur a Jove. Quam explicationem per se valere neque inventam esse, qua huius orationis propositum comprobetur, manifestum mihi videtur. Quae cum ita sint, cur tamen non Dio parte α absoluta satis habuit? Atqui in omnibus his, quae Diogenis nomen prae se ferunt, orationibus Dio id potissimum spectat, ut λόγους Διογένους referat — (cf. ea, quae praefatus eram) Ita iam in parte α iis, quae ipse narraverat, Diogenis dicta addiderat, quae ille ad commendandos mores suos dixisset, et cum etiam hic plures Διογένους λόγους referre vellet, hanc satis longam et in se cohaerentem de misera et prava hominum, recta animalium vitae ratione disputationem, quae vel diatriba dici potest, orationi suae inseruit; accedebat ut, etsi alio consilio scripta esset, tamen, cum similia eorum, quae in parte α leguntur, prae-

*) cf. Zeller, Philos. Graec. II[1].

beret, idonea ei videretur, qua propositum (§ 7) etiam magis illustraret. Itaque verbis τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα ...... sophistas, quod, ubi poterat, faciebat, oblique perstringens, partem α absolvit novamque verbis ἔλεγε δὲ ...... inducit. Sed oritur quaestio, utrum omnia, quae § 21—34 exposita sint, unius explicationis uniusque fontis sint an illa explicatio § 29 finiatur. Verum ut investigemus, illam, quae est in § 30 seqq. difficultatem explicare conemur. Hae enim sententiae aut iam in Dionis fonte una cum iis, quae proxime antecedunt, fuerunt, aut a Dione additae sunt, quibus exponat Diogenem illa principia vitae secutum esse audientesque ad ea, quae antea de Diogenis moribus exposuerat, paucis reducat. Lucem afferent §§ 32, 33 quae cui parti ipsae quoque attribuendae sint, dubium videtur. Enuntiatum enim τὰ δὲ τοιαῦτα ...... τῶν χωρίων loco, ubi legitur, minime aptum est. Nam inter § 32 finem et § 34 quae sit sententiarum ratio, equidem non video. Neque melius coëunt § 31 et § 32. Quid enim intellegunt animalia? Diogenem deorum, qui Homero teste facile vivant, vitam imitari? Quis hoc credat? Quid animalium migrandi consuetudo ad deorum vivendi rationem pertinet? Immo, quae de animalibus exponuntur, cohaerent cum verbis ἀλλὰ καὶ τοὺς τόπους ᾑρεῖτο τοὺς ὑγιεινοὺς μᾶλλον ἢ τοὺς νοσώδεις καὶ τοὺς προσφόρους*) ἑκάστῃ ὥρᾳ. Huius rei utilitatem cum intellegant animalia, faciunt, quae § 32. 33 narrantur. Rursum § 31 a § 34 excipi, quin omnes videant, non dubito. Proposuerit igitur quispiam, ut ordine enuntiatorum mutato § 32 et 33 inter § 30 et § 31 interponamus. At quod tum haberemus, multo minus ferri posset: Ὁρῶν δὲ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους post ὡς τῶν ἀνθρώπων χαλεπῶς καὶ ἐπιπόνως βιούντων dici non potest.

Praeterea § 30 et 31 quasi uno tenore dictae sunt neque possunt interposita longa de migratione animalium explicatione dirimi, praesertim cum in illis Dio loquatur, in his autem Diogenes. Itaque nihil nobis licet mutare, sed iudicandum est Dionem ita scripsisse. At si Dio de se, nullo certo ex fonte sumptas omnes has sententias protulisset, haec

*) προσφόρους coni. Emperius. εὐφόρους in libris.

inconcinnitas orta non esset. Verum ita rem explicare debemus: Dioni, ut iam antea dixi, diatriba cynica obversabatur, in qua Diogenes acribus verbis in hominum μαλακίαν καὶ τρυφὴν increpans suam et animalium vitam laudavit. Qua ita Dio usus est, ut partim ipse disputaret (§ 30 et 31) partim Diogenis dicta referret (§ 22—29, 32, 33). Ita eam fontis partem, cui § 30 et 31 respondent, cum iam satis multa de iis rebus dixisset, (cf. partem α) in angustum coegit, reliqua uberius tractavit. Sed cum paulo neglegentius loqueretur, sero eorum meminit Diogenis dictorum, quae proprie ad καὶ τόπους ...... ἑκάστῃ ὥρᾳ pertinebant, sed studio Διογένους λόγους referendi impulsus tamen ea verbis τὰ δὲ τοιαῦτα inseruit, etsi loco parum apto. Deinde sententiam post βιούντων interruptam excipiens ad novum caput transit.*) Haec interpretatio eo magis probatur, quod similem neglegentiam in § 25 videmus. Verbis enim διὰ ταῦτα δὲ ...... multo artior sententiarum nexus est cum § 23 et 24, quam cum iis verbis, quae proxime antecedunt. Neque multo melius coëunt § 23 et 24, ubi de luxuria et mollitie agitur, cum verbis εἰς δὲ τὰς πόλεις ......, in quibus hominum iniuriae spectantur. Sed etiamsi verba διὰ ταῦτα ...... ἀγαθοῦ τινος transponeremus post § 24, verba εἰς δὲ τὰς πόλεις ...... συνεληλυθότες quasi suspensa essent. Ut verum inveniamus, eodem, quo antea, recurrendum est, ut coniciamus Dionem ea, quae in fonte legerat, hic in angustum cogere. Postquam dixit — καθαιρόντων, novam sententiam explicare incipit de iniuriis, quas homines aliis alii inferant; quod dum facit, recordatur illius Promethei furti interpretationis eamque profert. Quo facto illam de hominum iniuriis sententiam non amplius tractat, sed § 26 ad aliud transit. Hae interpretationes et § 25 et § 31 seqq. altera altera nititur. Sed redeundum est, unde aberraveram: Illa enim de animalium migrationibus explicatio cum artissime ratione sententiarum cohaereat cum §§ 21—29, eidem fonti tribuenda est. Ergo etiam § 30 et 31, quae a § 32 et 33 seiungi non possunt, ex eodem fonte fluxerunt. Utrum autem ea

*) Quamobrem Wilamowitzius § 34 editori a nova linea incipiendum fuisse putat.

alium tenuerint locum, non possum diiudicare, sed a Dione de suo addita ea esse vix credam. Sed hoc iam nunc contendam, Dionem fontem suum in angustum coëgisse. Hoc cum ex iis, quae iam exposui, tum apparet ex verbo ἐπεδείκνυε, ubi solum dicitur Diogenem demonstrasse, non quo modo, quibus verbis demonstraverit. Omnino ex singularum sententiarum laxa copulatione concludi mihi videtur posse Dionem ex uberiore explicatione alia elegisse, alia breviter tetigisse alia neglexisse. Bene hoc apparet in sententia ἐπεδείκνυε δὲ τῶν ἀνθρώπων αὐτῶν τούς τε ὀφθαλμοὺς καὶ τὸ πρόσωπον οὐδὲν δεόμενα σκέπης; nam cum similem sententiam iam § 15 attulisset, hoc loco eos, qui audiebant, ad illum locum revocare argumentaque, quae fons hic praebebat, omittere potuit. Itaque vereor ne omnes res, quae ad animalium rectam vivendi consuetudinem spectabant, pari ubertate, qua animalium migrandi consuetudines, in fonte tractata fuerint. Sed de fontis natura postea plura dicam, cum alia, ex cynicis aliisque scriptoribus petita, comparandi causa attulero. Nunc autem de altera orationis parte quaestionem instituamus.

Postquam prior parte orationis Diogenis vivende ratione laudibus elata argumentum allatum est, etiam pauperrimo cuique regis Persarum delicias paratas esse. Dio verbis ὥστε οὐκέτ' ἠξίου τῷ Περσῶν βασιλεῖ παραβάλλειν, eo redit, unde exierat novumque caput incipit, quo hominum de regum felicitate opinionem falsam esse regesque multo miserius quam pauperes, vivere demonstret.

Praecipuam malae regis condicionis causam exponit esse timorem. Timere enim regem, quantascumque divitias habeat, paupertatem, morbos, mortem, insidias cum omnium hominum tum propinquorum, etiam liberorum et fratrum.

Quod his verbis dictum est, in iis quae sequuntur, satis copiose et oratorie tractatur; timores, quibus rex omnibus temporibus, omnibus locis, omnibus in rebus vexetur, summo colore illustrantur; quibus timoribus nihil posse regem liberare, quidquid ad eos tollendos machinetur; ne ullam quidem melioris condicionis spem ei relinqui. Deinde de mortis metu verba fiunt, de hominibus, quos rex timeat,

quippe quos sorte sua et dominatione ipsius contentos nunquam reddere possit. Sub finem autem partis B exponitur Persarum regi ne effugere quidem haec mala licere, neque ab ullo homine tyrannum amari, benevolentiae et amicitiae, pulcherrimarum rerum, eos omnino expertes esse.

Quae cum Dio exposuit, satis dilucide demonstravit eas res, quibus rex a mendico differret, non solum non utiles illi esse sed etiam maximo damno, id est, demonstravit: τῶν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος εἶναι.

Bene disposita haec orationis nostrae pars non est, nam et sine ordine nonnulla ponuntur et sunt, quae bis proferantur: § 39 finem confer cum § 43 initio et § 36 initium cum § 43 fine.

Sed putaverit quispiam in § 35 alicuius partitionis vestigia latere. Res enim, quas rex timeat, enumerantur: πενία, νόσοι, θάνατος, πάντες ἐπιβουλεύοντες. Deinde in iis, quae proxime sequuntur, de timore ita loquitur Diogenes, ut exponat non quae timeantur, sed ubi et quando rex timore afficiatur. Tum autem, quae timeantur, tractat, cum copiose de morte et insidiis ab omnibus regi structis dicat. Sed et paupertatis et morborum timor in tractatione silentio praeteritur. Non igitur, si quidem in § 35 vera partitio est, omnia, quae tractaturum se promittit, tractat, verum etiam alia, quae in § 35 non enumerantur, exponit. Itaque in verbis φοβούμενον μὲν ...... παίδων τε καὶ ἀδελφῶν (§ 35) partitionem esse negandum est. Immo videmus Dionem magis, quae in mentem ei veniebant, protulisse quam constitutae dispositioni certoque consilio se applicasse. Multo magis eum a fontibus recedere quam in parte A etiam ex genere dicendi mihi elucere videtur. Illic enim, ubi de Diogenis vivendi consuetudinibus et praeceptis disputat, satis magna verborum tenuitate utitur; ex magna illic videtur materia hausisse eaque, quae nescio ubi, legerat memoriaque tenebat, in angustum cogere, hic autem rhetorem se praestat, sententias, si formam spectas singularum, accuratissime struit multasque figuras adhibet, quibus orationem bene et eleganter sonantem reddat, enuntiatorum et periodorum particulas aequaliter formet. Verba igitur argumentum et cogitationes

longe superant; sed hic Dionem habemus, qualem ex aliis orationibus novimus, rhetorem arte dicendi florentissimum.

Quae cum ita sint, ex Dione solo vereor ne nihil de fontium numero aut natura investigare possimus. Itaque de his tum tantum exponam, cum alios scriptores adhibuero.

Age transeamus ad perorationem. Ubi, uti par est, ad ea quae antea (§ 1—7, § 34 seq.) dixerat, respiciens Dio Diogenem se rursus tyranno opponentem facit Miserae igitur regis condicioni, quae § 34—59 altis verbis depicta est, opponitur Diogenis libera et beata vita legimusque magnam Cynici de si ipso praedicationem. Quam ut explicemus, nullo auctore opus est, sed haec cohaerent cum χρεία illa (§ 1—7) ex qua Dio exorsus est. Sed cum putem § 60—62 Dionem de suo dedisse, tamen colores quosdam e cynico fonte immixtos esse § 62 mihi probare videtur.

Postquam Dionis orationem nullis praeter ipsum scriptoribus adhibitis in partes particulasque dissolvimus et de fontium numero naturaque pauca ex sola oratione concludimus, circumspiciamus, num quae nova huic quaestioni ab aliis auctoribus suppeditentur. Ad certum quendam Cynicum Dionis orationem revocare, quod Webero ut faceret, Rohdius suasit*) non conabor, tamen spero me non nulla investigaturum esse, quibus natura fontium melius quam adhuc factum est, cognoscatur Dionisque fontes sequendi et orationem componendi ratio melius perspiciatur.

Ac primum quidem accedamus ad prooemium, de quo ut recte iudicare possimus, et § 1—7 et § 34 seq. et § 60 sub uno aspectu ponere debemus, quorum locorum quasi vinculo tota oratio continetur: Diogenem se cum Persarum rege comparavisse multis locis*) traditum est; quos si paulo accuratius perlustramus, facillime duas eorum species agnoscimus, priorem, ubi Diogenes maxime ea re quod, ut ille, domicilium suum anni aetates sequens, mutet, se cum rege

*) Weber. pg. 85.

**) cf. Weber. pg. 86.

comparet,**) alteram, ubi sorte sua cum regis comparata se rege beatiorem vivere contendat***). Quae comparandi species magnopere inter se differunt, personae, quae comparantur, eaedem sunt, res vel causae comparatae plane diversae.

Apud Plutarchum duae illae comparandi species commixtae sunt, ut evaderet tertia, aliam, a prioribus diversam sententiam prae se ferens. Apud Dionem vero eas non confusas, sed coniunctas videmus, atque ita coniunctas, ut antea utramque per se valuisse perspicuum sit. § 1—6 enim prior comparatio illustratur, sed nihil de maiore felicitate Diogenis dicitur; immo ea re Diogenes regem superat, quod melius domicilium habeat idque facilius quam ille mutare possit. De hac unius rei, dico domicilii, comparatione ad totius vitae felicitatem comparandam transitio non prius quam § 7 fit, verbisque ὅμως δὲ ἐπεδείκνυτο luce clarius demonstratur aliquid novi hic afferri; quae altera comparatio, § 7 inchoata, perficitur § 34 seqq. et § 60.

De priore vero comparatione hoc tantum antiquitus traditum esse existimari debemus, Diogenem se cum rege Persarum comparavisse, quod, ut ille hieme Babylone et Susis, aestate Ecbatanis versaretur, ita ipse hieme Athenis, aestate Corinthi commoraretur, regis consuetudinem imitans. Uberius autem explicatum hoc solum apud Dionem habemus. Narrat, enim, quae similitudines, quae discrimina intercedant inter illas urbes, explicat quo modo rex quoque modo Diogenes illud iter faciat, describit situm Athenarum et Corinthi, loquitur de magnitudine oppidorum regis: denique in omnibus rebus singula sequitur. Quantum hoc distat a Cynicorum narrandi modo! Praecipue vide illam longinquam Athenarum descriptionem, quae est in § 3 et 4. Maxime Diogene indignum est, quod § 3 copiose ostenditur Athenas ad meridiem spectare. Quis credat Diogenem iis, qui eum audiebant, argumentari debuisse, ubi Atheniensium

---

**) Plut. de prof. in. virt. c. 6.

***) Luc., Jul., Diog. Epist., Cicero. (cf. Weber. l. c.)

urbs sita esset. Difficultatem movebit Xenoph. Cyr. VII. 6, 22 ubi accurate de Persarum regis Domiciliis agitur. Fuit enim Xenophon auctor a Dione saepe lectitatus (cf. or. XVII), itaque certe Dio illum locum noverat. Quid igitur veri similius est, quam Dionem, cum haec scriberet, illo loco usum esse, quo explicationem suam de illa comparatione faciendam amplificaret? Quod si mihi conceditur, simile aliquid etiam in aliis, quibus offendimur, rebus accidisse suspicabimur. Itaque mea quidem sententia Dio praeter cynicum fontem in quo illam antiquitus traditam Diogenis comparationem invenerat, nonnulla immiscuit, sive quae ex certis quibusdam scriptoribus hauriret, sive quae memoria teneret; cynico autem fonti parvulam tantum partem prooemii attribuere licebit eamque ad Diogenis aliquod apophthegma redire verisimile est.*) Plura de hoc fonte, cum talia Diogenis dicta in Cynicorum scriptis passim occurrant, fieri non poterit ut indagemus. Illud tantum mihi certum videtur, hanc priorem comparationem in fonte cum ceteris orationis partibus coniunctam non fuisse; nunquam enim post § 6 ad eam respicitur, sed de altera tantum, quae beatitudinem spectat, comparatione agitur. Haec velut cardo totius orationis sextae est, ad hanc et § 34 et in peroratione revocamur neque contradicam Capellio, qui in dissertatione sua *de Cynicorum epistulis* nuper scripta pg. 47 dicit Dioni cum haec scriberet, diatribam sub Diogenis nomine latam obversatam esse. Recte enim Ciceronis hunc locum (Tusc. V. 32, 92) adhibet: „*Et his quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis unquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset, suas eum consequi nullo modo posse.*“ His verbis perspicue diatribam signifari ego quoque credo. Sed non omnis oratio Dionis ad illam redit. Vestigia enim etiam aliorum fontium in hac oratione servata esse demonstravisse mihi iam videor novisque argumentis probabo (Ita § 21 seqq. aliam diatribam latere iam exposui).

---

*) § 6 quae aetatem imperatorum Romanorum minime redolet, mihi videtur Diogeni tribuenda esse.

Transeuntes ad partem α primum Xenophontem, antiquissimum testem, arcessamus, cuius in Mem. II 1, 30 legimus Virtutem Luxuriam increpantem dicere ἵνα δὲ ἡδέως πίῃς ...... καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς. Hanc sententiam, homines luxuriosos aestate nivem trepidantes quaerere, nisi apud Xenophontem, nusquam investigavi.*) Atqui Dio Xenophontem penitus noverat. Ergo putandus est etiam ille Dionis locus ex Xenophonte sumptus esse. At dixerit quispiam, cum Dio hac in oratione Cynicos exscriberet, ex cynico fonte hunc quoque locum fluxisse, in quem ex Xenophonte irrepsisset. Contra hoc monendum est, omnem hanc orationis partem (α) ita scriptam esse, ut Dionem fontibus liberrime usum esse putemus; adde quod in or. IV certe totum illum Xenophontis locum imitatus est, et id, cum cynica exponeret. Praeterea Xenophontis omnis illa paragraphus 30 maxime Dionis § 11 seq. similis est. Ob has igitur causas manifestum mihi videtur Dionem, cum haec exponeret, Xenophontis locum memoria tenuisse coloresque aliquos ex illo, quem tantopere diligebat, in explicationem suam immiscuisse**). Quod si tenemus, etiam Dionis ἀκόλαστοι δὲ ὄντες οὐχ ἥδονται τοῖς ἀφροδισίοις διὰ τὸ μὴ περιμένειν ὀρέγεσθαι αὐτῶν, ὅθεν ζητοῦσιν ἀχαρίτους καὶ ἀτερπεῖς ἡδονάς, imprimis postrema verba, adumbrata esse iudicabimus ex Xenophontis τὰ δὲ ἀφροδίσια πρὸ τοῦ δεῖσθαι ἀναγκάζεις, πάντα μηχανωμένη καὶ γυναιξὶ τοῖς ἀνδράσι χρωμένη. Comparari potest etiam ps.Luc. Cyn. § 10, 11. Aliter mihi videtur res se habere in Xen. Mem. I 3, 5 σίτῳ μέν γὰρ τοσούτῳ ἐχρῆτο (Socrates) ὅσον ἡδέως ἤσθιε· καὶ τοῦτο οὕτω παρεσκευασμένος ᾔει ὥστε τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον αὐτῷ εἶναι. Quod Socratis dictum a Cynicis usurpatum postea omnibus, qui praecepta vivendi dabant, philosophis commune fuit adeoque pervulgatum,***) ut etiam apud nos proverbii locum teneat („Hunger ist der beste Koch.“) Hoc igitur loco multo minus verisimile

*) Quod de Teletis illo loco Weberus pg. 105 dicit, plane reiciendum est; nam, quod in Hensii editione est, Χῖον legendum est.

**) De hoc loco aliter iudicat Capellius pg. 46.

***) cf. etiam Teletem pg. 4 (Hense) ἢ οὐκ ὄψον ἀδάπανον καὶ ἀτρύφερον παρασκευάζω σοι τὴν πεῖναν;

est Dionem Xenophontem secutum esse praesertim cum verba, quae proxime sequuntur: τοιγαροῦν ἥδιον μὲν προσεφέρετο μᾶζαν Cynicorum propria sunt; verbi δριμύς quoque usus maxime cynicus est. Itaque hoc dictum Dionem eidem cynico fonti, ex quo alias huius paragraphi sententias hausit, debere puto.

Ne quis Xen. Mem. I. 2. 30 λέγεται, ... ὥσπερ τὰ ὕδια τοῖς λίθοις fontem fuisse Dionis § 18 ... πρὸς τὸ τραχύ putat, monendum est, primum sententiarum rationem non eandem esse, deinde apud Xenoph. τὸ προσκνῆσαι vituperari, apud Dionem laudari, tum illuc de paederastia, hic de alio genere amoris agi.

Xenophontem nunc mittentes*) transeamus ad Teletem, non malum Cynicorum praeceptorum testem; apud quem esti non parvum numerum locorum cum Dioneis consentientium invenimus, tamen fere omnes adeo communes sunt posterioris aetatis philosophis et Cynicis et Stoicis, ut de Dionis fonte nihil nos doceant. Neque maioris momenti sunt loci qualis est: ἢ πεινᾷ τις πλακοῦντα ἢ διψᾷ Χῖον. Apud Dionem enim § 12 Χῖον legimus; sed cum et Χῖος et Λέσβιος ab illis philosophis tantum pro pretioso aliquo vino dicatur, huius verbi usus nihil singulare habet nullamque Dionis fontis investigandi nobis ansam praebet. Simile iudicium ferendum est de Tel. II pg. 5 ποῖον γάρ σοι τοιοῦτον οἰκητήριον, φησὶν ὁ Διογένης, τοῦ θέρους, οἷον ἐμοὶ ὁ παρθενὼν οὗτος, εὔπνους καὶ πολυτελής; confer etiam Diog. Laert. VI, 22 τοὺς Ἀθηναίους ἔφασκε (δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν) καὶ πομπεῖον αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι. Haec duo dicta Diogenis, etsi revera eandem sententiam eamque pervulgatam declarant, verbis valde differunt neque alterum ex altero factum esse mihi videtur, immo puto iam antiquitus eandem varietatem traditam esse. Dio autem § 14 fere idem habet: οἰκίας δὲ τὰς καλλίστας ἐν ἅπασι ταῖς πόλεσιν ἔχειν ἀναπεπταμένας τὰ δὲ ἱερὰ καὶ τὰ γυμνάσια, sed sententia sola cum illis congruit, peculiaris autem et propria apophthegmatis forma,

---

*) De Xenophonte cum Dione consentiente Wegehauptius propediem dissertationem publici iuris facturus est; itaque obiter tantum hoc loco de his rebus agendum putavi.

quae est in brevitate ac facetia, non iam agnosci potest; tamen, praecipue ex ea re quod haec sententia obliqua oratione affertur, ceteris § 13 et 14 verbis directa oratione prolatis, concludam Dionis sententiam originem duxisse ex Diogenis dicto, quod quale fuerit ex Telete et Laertio discimus. Cur vero apophthegmatis formam deseruerit, intellegi potest ex eo quod antea de partis α compositione praemisi. Dio enim ipse in hac parte, non Diogenes loquitur, cuius dicta non nisi ad illustrandas et explicandas singulas res narratas adduntur. Itaque cum, quomodo Diogenes habitasset, narrare vellet, apophthegmata illa, qualia ex Telete et Laertio novimus, adhibere non potuit, sententia modo eorum ei opus erat; missa igitur fere omni apophthegmatis specie, de qua supra dixi, sententiam ei subiectam reddit. Hac re, id quod supra conieci, Dionem partem α non ex perpetua narratione hausisse novo argumento firmatur sed utrum aliquem librum, in quo χρεῖαι Διογένους collatae erant, adhibuerit, an ipse complures auctores dicta Diogenis referentes, adierit, dubium mihi videtur.

In § 16—20 non omnes particulas bene aliam ab alia excipi conflatasque esse ex compluribus membris iam notavi. Primum narratur, qua ratione Diogenes in explendo naturali desiderio facere solitus sit; cuius rei multos antiquos testes habemus, quos cum Zellerus II[1] pg. 322[1] iam contulerit, omnes citare supersedeo; hoc tantum ex iis discimus, ea quae Dio de Diogene narret, iam antiquitus ab eius sectatoribus narrata et laudata esse, ab iis autem, qui cynicae philosophiae adversarii fuerint, illi crimini data esse, de eo vero auctore, ex quo proximo Dio hauserit, minime docemur. Ea enim maxime Diogenis praeceptorum pars ab eius secta tractata esse videtur, multaque de hac re Diogeni supposita esse verisimile est; quanto gaudio in his rebus posterioris aetatis Cynici versati sint, vel ex Diog. Epist. XXXXII, qua obscaeniorem non novi, cognoscas. Dio quoque hoc maxime Diogenis proprium et quo ab aliis differret, putabat, quod nisi putavisset, non tanta ubertate de hac re disseruisset totque Diogenis dicta contulisset. Quod si mihi concedis, non iam nimis offenderis illis, de quibus monui, inconcinnitatibus.

Nunc ad res ipsas veniamus, quarum unam iam Xenophonte usi tractavimus. Nulla difficultas est in iis, quae § 17 de Graecorum mythis dicuntur — Stoicorum hanc et Cynicorum consuetudinem esse, ut mythos exempli causa afferrent, ab aliis expositum est —, paulo difficilius est Panis mythum, qualem Dio exhibeat, intellegere. Cynicorum eum officinam redolere nemo negabit; sed videamus, quid ex aliis auctoribus lucremur. Weberus pg. 113 Longi tantum locum, III, 23, affert dicitque: *Quam foede hanc fabulam Diogenes detorquet!* Sed unde scit Diogenem eum fuisse, qui detorserit? Pan enim, qualis apud veterum scriptores exstat, non tam dissimilis est Diones Pani, quam Weberus arbitratur. Libidinosissimum enim eum fuisse omnibus notum erat, quod vel artes veterum luce clarius ostendunt. Praeterea uxoris eum expertem fuisse compluribus locis traditur, cf. Heraclitum, qui in libro περὶ ἀπίστων c. 25 Pana satyrosque dicit ἀπείρους γυναικῶν; adde quod Nonnus docet Panis ἀνυμφεύτους fuisse ὑμεναίους. Ante omnes autem conferas Cornuti cap. XXVII: ἐν ταῖς ἐρήμαις δὲ διατρίβων μάλιστα τῆς μονότητος αὐτοῦ διὰ τούτου παρισταμένης et quae sequuntur. Fingere igitur Pana, ut desiderium naturale expleret, masturbatione usum esse idque a patre, quem eius misereret, doctum esse Cynico minime indignum est. Sed Diogenem hoc non fecisse ex eo elucet, quod Pan Echo amare dicitur eamque per montes vallesque esse persecutus. Nam hoc non ante aetatem, quam vocant Alexandrinam, narrabatur. Illius autem aetatis poëtae saepius de Panis et Echus amore canunt, idque diverse, cum Callimachus ex illo amore filiam ortam esse, alii Panis amori Echo restitisse dicant. Itaque magnum hic argumentum habemus Dionem fonte usum esse post Diogenem orto. Restat, ut dicam de Zelleri*) coniectura, qui suspicatur Dionis § 16 seq. ex Chrysippo originem duxisse. Chrysippi illud servavit Plutarchus, Sto. rep. c. 21 pg. 1044 Ἐν δὲ τῷ περὶ πολιτείας ..... ἐπαινεῖ τὸν Διογένη τὸ αἰδοῖον ἀποτριβόμενον ἐν φανερῷ καὶ λέγοντα πρὸς τοὺς παρόντας· Εἴθε καὶ τὸν λιμὸν οὕτως ἀποτρίψασθαι τῆς γαστρὸς ἠδυνάμην. Ad verbum fere consentit Diogenes Laertius VI, 69 χειρουργῶν τ' ἐν μέσῳ συνεχές, "εἴθε ἦν, ἔλεγε, καὶ τὴν κοιλίαν

*) Zeller. Philos. Graec. II[1]. pg. 322[1].

παρατριψάμενον τοῦ λιμοῦ παύσασθαι". Dionis illa quidem, παίζων ἔλεγεν ἁπανταχοῦ παρεῖναι αὐτῷ τήν Ἀφροδίτην προῖκα· τοὺς δὲ ποιητὰς καταψεύδεσθαι τῆς θεοῦ διὰ τὴν αὐτῶν ἀκρασίαν, πολύχρυσον καλοῦντας ad Diogenis dictum redire videntur, sed ab illis, quae supra exscripsi, satis longe distant, etsi eandem consuetudinem illustrant. Apud Chrysippum enim et Laertium illius facete dicti sal in voce ἀποτρίβεσθαι est, apud Dionem autem duplici verborum Ἀφροδίτη et πολύχρυσος significatione luditur. Itaque hoc ex illo confectum esse non potest, sed per se valet; Chrysippi igitur hic vestigium latere negandum est. Neque quae in sequentibus paragraphis de hac re lubrica disputantur, ex Chrysippo fluxerunt. Qui si masturbationem (praeter ea quae ex Plutarcho attuli) ut ἀδιάφορον defendit, hoc eiusmodi fere causis allatis fecisse iudicandus est, quales ex Sexto Empirico, Pyrrh. III, 246, novimus.

Parte α absoluta videamus, num aliis testimoniis usi partis β fontis, quem fuisse cynicam diatribam de hominum prava et luxuriosa vivendi ratione scriptam conieci, naturam accuratius cognoscamus. Ac primam mihi quaerendi ansam praebuerunt loci duo Diogenis epistularum, qui ad verbum fere cum Dionis § 22 et 23 congruunt. Epistula 28, 7 enim dicitur οὗτοι (οἱ ἰατροὶ) δὲ καλῶς ποιοῦντες τέμνουσι καὶ κάουσι καὶ δεσμεύουσιν, φάρμακα δὲ διδόασι καὶ ἔσω καὶ ἔξω τοῦ σώματος et epist. 29, 5 οὐκοῦν ἀναγκαῖον τομὰς καὶ καύσεις καὶ φαρμακείας ποιεῖσθαι. Verbis ferro igne medicina significantur ea, quae medici adhibere solebant. Ipsa verba non urgeo, sed id notandum est, tribus his locis de medicorum operis agi.

Ex his autem priusquam amplius progrediamur quaerendum est, quo sententiarum nexu haec dicta sint et apud Dionem et in utraque epistula: Dionis sententiarum hoc est argumentum: Homines prava ratione viventes iam adeo mollitie et infirmitate confecti sunt, ut ferro, igne, medicina iis opus sit; sed ne hae quidem artes morte et morbis gravissimis eos liberare possunt διὰ τὴν αὐτῶν ἀκολασίαν καὶ πονηρίαν.

In epist. 29 Dionysius tyrannus increpatur, quod adeo corruptus sit tamque turpiter vivat, ut, si quis ei mederi velit, validissimis remediis uti debeat; Cynicum igitur, non

Platonem eius medicum esse debere. Magnum igitur inter Dionis et epistolographi locos discrimen est; nam illic (apud Dionem) σίδηρος πῦρ φάρμακα proprie dicuntur, hic autem verba illis respondentia translate. Illic ab hominibus adhibentur, quibus a morbis se defendant, hic tyranno suadetur, ut iis usus morum depravationi ipsius medeatur, illic vituperantur, hic commendantur. Itaque ep. 29 in nostram quaestionem omnino non cadit. Epitulae 28 autem auctor homines acerrime increpat, qui tam prave vivant. Naturam dicit homines ulturam esse, quibus omnibus pariter, quam tantopere timeant, mortem impendere; mendicos saepe meliore valetudine quam ditissimos homines uti. Quos, quamquam libidinibus et luxuria aliquantum temporis voluptates quasdam sibi parent, tamen doloribus et miseriis confici neque aedes neque orramenta neque cubilia eos tueri, solam modestiam opem ferre posse. Nunc autem ad pravitatem hominibus insuper accedere medicos, quasi publicos carnifices, ignem ferrum medicinas adhibentes. Sed ne hos quidem quidquam prodesse; se, Diogenem, solum iucunde vivere, cui soli sit sapientia, Graecos autem barbaris barbariores esse.

Hic igitur ignis ferrum, medicinae eadem sententia dicuntur, qua apud Dionem. Sed non solum horum verborum usum utrique communem videmus sed etiam alia in his epistulae sententiis cernimus digna, quae cum Dione comparentur. Nam primum totius epistulae argumentum Dioneae disputationi simile est. Deinde confer, quae apud utrumque de mortis metu legamus:

Ep. 28, 5 ὁμόιως γὰρ πᾶσιν ὑμῖν θάνατος ἐπικρέμαται, ὃν ὑμεῖς φοβεῖσθε.

Dio § 22 τοὺς δὲ ἀνθρώπους οὕτω μὲν πάνυ φιλοζώους ὄντας τοσαῦτα δὲ μηχανωμένους πρὸς ἀναβολὴν τοῦ θανάτου.

Tum apud utrumque exponitur propter licentiam et immoderantiam hominibus nihil prodesse, quaecumque ad arcendos morbos et vitandam mortem faciant.

Ep. 28. 5 πλουσίους δὲ νοσοῦντας δι᾽ ἀκρασίαν τῆς δυστυχοῦς γαστρὸς καὶ πόσθης· χαρισάμενοι γὰρ τούτους ὀλίγον ἐγαργαλίσθητε χρόνον ὑφ᾽ ἡδονῆς μεγάλας καὶ ἰσχυρὰς ἐναποδεικνυμένης ἀλγηδόνας ...... § 6 καὶ οὐδὲν ὠφελήσει ὑμᾶς οὔτε οἰκία οὔτε τὰ ἐν αὐτῇ

κιονόκρανα, ἀλλ' ἐν ταῖς χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς κλίναις κατακείμενοι στρεβλοῦσθε καλῶς ποιοῦντες, οὐδ' ἰσχυροποιεῖσθαι δύνασθε ......

Dio § 23 ζῆν δὲ νοσημάτων γέμοντας μηδὲν αὐτοῖς ὄφελος εἶναι διὰ τὴν αὐτῶν ἀκολασίαν καὶ πονηρίαν. (cf. § 34.)

Tot igitur sententiae communes vel similes persuadent nobis aut Dionem ex epistula hausisse, aut utrique eundem fontem fuisse. Atqui illud ne coniciamus monent tot tamque graves res a Dione, quem unum fontem secutum esse statuimus, solo prolatae. Ergo relinquitur, ut iudicemus Dionem et epistulae auctorem ex eodem fonte sua collegisse. Quid! nonne hoc pugnat cum eo, quod dixi in Dionis fonte hominum pravitatis argumentum petitum esse ab animalium vivendi ratione? apud epistolographum enim de animalibus nihil exponitur. Quid sit, ut enucleemus, opus erit totam epistulam perlustrare et in partes suas disponere:

I. Hominibus nihil nisi miseriae et mali mores sunt, tranquillitate et pace carent.

II. Homines vivunt ἐν ἀφροσύνῃ, cani autem, id est naturae, odio sunt (cf. § 5), voluptas eorum brevis, dolor longus est (cf. § 5).

III. Homines alios alii obterunt, bonorum autem maxima est inopia, cum bonos non educent.

IV. Vi et iniuria omnia faciunt, intemperantissime in omnibus rebus agunt.

Quae sequntur, iam rettuli.

Bene dispositas has sententias quis dixerit? confusae et commixtae sunt. Accedit, quod eadem sententia, quae est de cane, bis tractata est, et § 2 et § 5. Sed hac iteratione probatur omnes epistulae partes arte inter se cohaerere. Nam etsi non bene in ordinem digestae et dispositae sunt, tamen omnes singulae sententiae uni summae sententiae subiectae sunt, quae Dionis § 21 similis est. Tota igitur epistula uno ex fonte fluxit, nimirum ita, ut scriptorem haec vel illa addidisse non negemus. Atqui § 7 (cf. § 5) et Dionis § 22 et 23 unius originis esse statuimus, ergo etiam reliquas epistulae partes ex eodem fonte fluxerunt. Hoo ita esse comprobatur nonnullis sententiis, quas in aliis epistulae partibus legimus, cum Dioneis consentientibus.

Ep. 28, 1 καὶ οὐδέποτε ἐν εἰρήνῃ, ἀλλ' ἐν πολέμῳ τὸν ὅλον βίον καταγηρᾶτε, κακοὶ κακῶν ἐπιτήδειοι ὄντες, καὶ ἀλλήλοις φθονοῦντες, ἐάν τις ……

Dio § 34 ὁρῶν δὲ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἅπαντα μὲν τὸν βίον ταραττομένους, ἅπαντα δὲ ἀλλήλοις ἐπιβουλεύοντας, ἀεὶ δὲ ἐν κακοῖς ὄντας μορίοις, οὐδέποτε δὲ ἡσυχίαν δυναμένους ἄγειν, ἀλλὰ μηδὲ ἐν ταῖς ἱερομηνίαις μηδὲ ἂν ἐκεχειρίαν ἐπαγγέλλωσιν.

Ep. 28, 2 μισεῖ δὲ ὑμᾶς οὐ μόνον ὁ κύων, ἀλλὰ καὶ ἡ φύσις αὐτή et § 5 κἀγὼ μὲν ὁ κύων τῷ λόγῳ, ἡ δὲ φύσις τῷ ἔργῳ confer cum Dionis sententia, animalia sola recte vivere, de qua tota parte β agitur.

Ep. 28, 2 ὅσους δὲ καὶ οἵους ἄνδρας ἀπεκτείνατε τοὺς μὲν ἐν πολέμῳ πλεονέκται ὄντες, τοὺς δὲ ἐν τῇ καλουμένῃ εἰρήνῃ αἰτίαν ἐπενεγκόντες et quae sequuntur.

Dio § 28 εἰς δὲ τὰς πόλεις συνελθόντας ὅπως ὑπὸ τῶν ἔξωθεν μὴ ἀδικῶνται, τοὐναντίον αὐτοὺς ἀδικεῖν καὶ τὰ δεινότατα πάντα ἐργάζεσθαι ὥσπερ ἐπὶ τούτῳ ξυνεληλυθότας.

Ep. 28, 6 καὶ οὐδὲν ὠφελήσει et quae sequuntur, praeterquam quod cum § 23 et 24, ut iam dixi, consentiant, etiam conferri possunt cum § 28 ἀλλὰ τὴν πανουργίαν τοῖς ὕστερον καὶ τὸ πολλὰ εὑρίσκειν καὶ μηχανᾶσθαι πρὸς τὸν βίον οὐ πάνυ τι συνενεγκεῖν.

Quibus expositis cum manifestum mihi videatur epistolographum eandem cynicam diatribam secutum esse, quam Dio, restat, ut quaeramus, qua quisque ratione fonte usus sit.

Ac primum quidem epistulae scriptor nihil de animalium consuetudinibus praebet. Soli illi de cane loci vestigium argumentationis ab animalibus petitae servant; nam, ut Dio hominibus animalia, ita Pseudodiogenes iis canem, id est se ipsum opponit.

Deinde Dio eam fontis partem, quam epistolographus § 5 seq. refert, breviter tantum tetigit (§ 28), eademque brevitate de iis refert, (§ 25) quae § 2 et 3 copiose tractantur.

Tum in epistula non legimus Prometheum iure a Iove punitum esse; deest igitur imago illa, qua Dio rem dilucide significavit.

Deinde neque de Socrate neque de Antisthene quidquam Dio exhibet, fortasse quod, cum Διογένους λόγους referret,

alios philosophos non curabat. Tum epistulae nec prooemium nec peroratio consentit cum Dione, quippe cui tali orationis vestitu, si in fonte fuit, minime opus erat. Denique id quod in epistula latissime patet, dico increpationem acribus verbis in hominum dementiam factam, a Dione valde contractum est. Itaque, si in universum consideramus, videmus Dionem ex fonte suo plura sumpsisse, quam epistolographum. Is enim illam tantum supra excerptam sententiam, qua explicet naturam ab hominibus relictam eos ulturam esse neque quidquam omnes eorum machinationes prodesse, e fonte petitam magna ubertate, fortasse multis de se additis vel aliunde sumptis, sed ne bono ordine nec magna cum diligentia exposuit*). Dio autem, cum plures quam ille sententias e fonte ductas referret, restrinxit. Sed ne ipse quidem, quae profert, bene disposita profert, quod iam § 32 tractantes vidimus. Qua autem ratione et ordine singulae res in fonte dispositae fuerint, cum Dionis et epistulae dispositiones valde inter se differant, statuere non possumus. Satis mihi habeo statuisse, quae in fonte fuerint et qua uterque ratione eo usus sit.**)

Nunc de pseudolucianeo dialogo, qui inscribitur Κυνικὸς, cum iam primo obtutu Dioni similis videatur, quaestionem instituamus. Postquam enim dictum est, etiam in conviviis eum urbaniorem existimari, qui modeste cibis frueretur, quam eum, qui omnia avide arriperet, pergitur modestum illum esse Cynicum, frugaliter viventem, homines autem similes

*) vides § 2 in § 5 inepte ad verbum fere repeti.

**) Paulo aliter de epistulae 28 fonte iudicat Capellius, pg. 28: „omnino epistula tam satiricum colorem habet, — vel potius totam epistulam satiram rectius dixerit quispiam — ut auctorem satirarum poesin, certe litteras cynicas cognitas habuisse negari vix possit, quamquam quibusdam locis profecto dignosci non potest, quantum ex ea hauserit“ et duobus lineis infra: „Ipse fuit verus et sincerus Cynicus“. Quae omnia sodali concedam, sed quod dicit „certe satiram vel certum scriptum cynicum eum adhibuisse nullo modo demonstrari potest“, nunquam mihi persuadebit.

esse τῷ πάντα ἁρπάζοντι. Quae inde sequuntur, dignissima sunt, quae cum Dione comparentur.

Nam Cyn. 8 conferri potest cum Dionis § 28 et 29, sed cum hic pauca tantum verba faciat, in Cynico eae res, in quibus hominum illa πολλὴ ἐπιμέλεια appareat, afferuntur.

Cyn. 8 καὶ ἐπιβουλεύετε ἀλλήλοις διὰ ταῦτα (quae antea attuli) καὶ φίλοις φίλοι καὶ πατράσι παῖδες καὶ γυναῖκες ἀνδράσιν respondet Dionis § 25 αὐτοὺς ἀδικεῖν καὶ τὰ δεινότατα πάντα ἐργάζεσθαι ὥσπερ ἐπὶ τούτῳ ξυνεληλυθότας.

Cyn 9 Luxuria hominibus nihil prodesse dicitur sed αἱ παντοδαπαὶ περὶ τὰ βρώματα πραγματεῖαι τρέφουσι μὲν οὐδὲν μᾶλλον, λυμαίνονται δὲ τὰ σώματα καὶ τοῖς σώμασι νόσους ἐμποιοῦσιν; similia habet Dio § 23 ζῆν δὲ νοσημάτων γέμοντας e. q. s. Hic quoque Cynicus multo uberior est.

Ea quae Cyn. § 10 et 11 copiose tractantur, a Dione leviter tantum tanguntur, cum dicat Diogenem καὶ πρὸς τὸ παῦσαί τινα ὄρεξιν τοῦ σώματος summa simplicitate usum esse. Uberius enim de hac re § 12 et 16—20 exposuerat.

Cyn. 12 εἰ θηρίου βίον βραχέων δεόμενος καὶ ὀλίγοις χρώμενος δοκῶ σοι ζῆν, κινδυνεύουσιν οἱ θεοὶ καὶ τῶν θηρίων εἶναι χείρονες κατά γε τὸν σὸν λόγον ...... καθόλου δὲ πανταχοῦ τὸ χεῖρον τοῦ κρείττονος πλειόνων δεῖται. Διὰ τοῦτο θεοὶ μὲν οὐδενός, οἱ δὲ ἔγγιστα θεοῖς ἐλαχίστων δέονται brevius occurrit in Dionis § 31 καὶ μάλιστα ἐμιμεῖτο τῶν θεῶν τὸν βίον, ἐκείνους γὰρ μόνους Ὅμηρος φησὶν ῥᾳδίως ζῆν ...... τὰ δὲ τοιαῦτα καὶ τὰ θηρία διορᾶν ...... Ad eandem Diogenis sententiam redit Diog. Laert. VI, 105 Διογένης, ὃς ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων τὸ ὀλίγων χρῄζειν. Diogenis igitur partis β fons vestigium servaverat.

§ 13 et 14 Cynicus a proposito paulisper digressus verbis ἐκείνους οὖν ἐγὼ ζηλῶ, unde aberraverat, revertitur. De his paragraphis, cum orationem VIII tratabo, dicam.

Cyn. 15 Εὔχομαι δέ μοι τοὺς μὲν πόδας ὁπλῶν ἱππείων οὐδὲν διαφέρειν, ὥσπερ φασὶ τοὺς Χείρωνος, αὐτὸς δὲ μὴ δεῖσθαι στρωμάτων, ὥσπερ οἱ λέοντες confer cum Dionis § 27 et 28, in quibus de hac re uberius quam Cynicus loquitur; summum est, apud utrumque argumentationem ab animalibus esse petitam.

Cyn. 15 εἴη δέ μοι γῆν μὲν ἅπασαν εὐνὴν αὐτάρκη ἔχειν, οἶκον δὲ τὸν κόσμον νομίζειν, τροφὴν δὲ αἱρεῖσθαι τὴν ῥᾴστην ποριςθῆναι cf. Dio § 30 ὅσα δὲ ῥᾳδίως καὶ ἀπραγμόνως ἐστὶν ἐπικουρεῖν τῷ σώματι καὶ πρὸς χειμῶνα καὶ πρὸς λιμὸν, οὐ παρέπεμπεν οὐδὲν αὐτῶν (cf. etiam § 14). Has sententias non attulissem, si solae cum Dione congruerent, sed cum iam tot alias res easque magis peculiares Dioni cum Cynico communes videamus, etiam hae alicuius momenti mihi esse videntur.

Cyn. 15 πάντα γὰρ τὰ κακὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐκ τῆς τούτων ἐπιθυμίας (id est: ex cupititate earum rerum quas Cynicus non curat) φύονται, καὶ στάσεις καὶ πόλεμοι καὶ ἐπιβουλαὶ καὶ σφαγαί. Idem est in Dionis verbis (§ 31): πραγμάτων δὲ καὶ δικῶν καὶ φιλονεικιῶν καὶ πολέμων καὶ στάσεων ἐκτὸς ἦν, quippe qui luxuriam fugeret.

His omnibus locis collatis quid verisimilius est, quam auctorem pseudolucianei dialogi eas dialogi partes, de quibus diximus, ex eodem fonte hausisse, ex quo et epistula et Dionis pars β fluxerunt? Quod si ita est, suspicari debemus etiam esse ubi epistula 28 cum Cynico concinat. Et revera habemus sententias aliquas utrique communes:

Ep. 28 legimus homines perpetuo bello alios alios dilacerare, omnibus alterius rebus alterum invidere; similia habet Cynicus § 8 et § 15.

Ep. 28, 4 γυναικοπαθεῖτε respondet Cynici § 10 et 11, ubi de re venerea parum naturali disputatur.

Ep. 28, 6 et Cyn. § 9 similiter de luxuria homines minime iuvante verba fiunt.

Ep. 28, 5 πλουσίους δὲ νοσοῦντας δι' ἀκρασίαν = Cyn. § 9, quod iam exscripsi.

In Cynici fonte de animalibus disputatum fuisse sequitur et § 12 et § 15. Adde, quod eodem, quo apud Dionem

ordine in Cynico numerantur dei, animalia, homines. Ergo quamquam Dionis pars β Cynico non tam similis est, quam epistulae 28 neque epistula 28 Cynico tam similis quam Dioni, tamen tantus est consensus, ut et ea, quae de Dionis et epistulae communi fonte diximus, comprobentur et Cynicus accedat tertius, qui eodem fonte usus sit.*) Utrum autem Cynici autor ex ipso illo fonte hauserit an ex alio, interposito, neque possum statuere neque huius quaestionis esse censeo.

Investigavimus igitur fontem, ex quo tres**) scriptores hauserunt; quem fuisse cynicam diatribam satis longam et rerum plenam, cum iam ex Dione solo conclusissemus, confirmatum est collatis aliis duobus, Cynici et epistulae auctoribus.

Sequitur, ut de duobus partis β locis, ubi Promethei mentio fit, dicamus. Qui loci primo obtutu maxime inter se differre videntur, cum § 25, quia ignis causa μαλακίας καὶ τρυφῆς sit, recte puniri dicatur is qui dederit, § 29 autem, quia προμήθεια — nomine Promethei luditur — hominibus tantorum malorum causa sit. Sed cum per illam ipsam μετάδοσιν τοῦ πυρὸς hominibus ἡ προμήθεια data sit, alius locus cum alio non pugnat neque ita diversae sunt inter se μαλακία, πολλὴ ἐπιμέλεια, προμήθεια. Dionem illos locos unius generis esse putavisse vel ex eo intellegas, quod § 29 verbis

---

*) In aliis Cynici partibus alios fontes postea agnoscemus.

**) Nescio an ep. XXXVI auctorem his addere debeamus; nam non nulla sunt in ea Dioni similia. Sed ea pars tantum, in qua paupertatem hominibus nihil nocere exponitur, similis est. Nam etiam pauperem a fame et frigore se tueri posse ex animalium exemplis colligitur (τὰ ἄλογα). Ut apud Dionem (§ 26) aliqui in contrariam partem afferunt οὐ δυνατὸν εἶναι ζῆν τὸν ἄνθρωπον ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ζώοις, ita in epistula Diogeni opponitur ἀλλὰ τὰ μὲν ἄλογα οὕτως ἡ φύσις ἐποίησεν et respondetur ἀνθρώπους δὲ ὁ λόγος οὕτως ποιεῖ, ἀλλ' οὐ προσποιοῦνται πολλοὶ συνιέναι διὰ μαλακίαν. Similiter apud Dionem legimus μαλακίᾳ et προμηθείᾳ homines ita degeneratos esse, ut infeliciores animalibus vivant, quam quam natura deteriores non sint. Etiam quod dicitur (Ep. 36, 6) paupertas φθόνους, μίση, alia pellere, in Dionis § 25 cerni potest. Deinde, quod in epistulae § 6 de morbis dicitur, in Dionis § 23 inest.

καὶ οὕτω δὴ ad § 25 nos revocat. Apud alios quoque auctores eius modi de Prometheo sententias invenire possumus. Nam Luciano Prometheus ἡ περιττὴ σοφία καὶ προμήθεια (Luc. Prom. i. v. 1) et Juliano Cornutoque προνοίας vel προμηθείας symbolum (Jul. VI 182 c. Corn. c. 18), Juliano vero etiam λόγου καὶ νοῦ largitor, qui hominibus πνεῦμα ἔνθερμον, ἀσώματον λόγον dederit. Hoc modo imperator Romanus Stoicos, quod ex toto loco elucet, secutus ignis furtum interpretatur. Sed videamus quomodo Cornutus Prometheum a Jove punitum explicet: ἡ γὰρ ἡμετέρα ἐντρέχεια τὸ προειρημένον πλεονέκτημα σὺν τοῖς ἄλλοις ἔχουσα πειρᾶταί τινος παρ' ἑαυτὴν δυσχρηστείας, προσδεδεμένη ταῖς κατὰ τὸν βίον φροντίσιν ὀδυνηραῖς οὔσαις καὶ ὡσπερεὶ τὰ σπλάγχνα ἐκ λεπτομεριμνίας ἐκβιβρωσκομένη. Quid, nonne Dio consentit?

Cogitandi vero ratio non plane eadem est; nam Cornuto poena Promethei idem est atque id, quod ἡ ἡμετέρα ἐντρέχεια (προμήθεια) efficit, iecur, quod ab aquila devoratur idem est atque αἱ ὀδυνηραί φροντίδες, quibus homines mordentur. Punitionem igitur ipsam Stoicus allegorice interpretatur, Dio autem non punitionem sed eius causam explicat, nam ἡ πολλὴ ἐπιμέλεια καὶ προμήθεια non poena ipsa est, sed causa cur puniatur. Hoc autem discrimen non magni momenti est; si rem omnem spectas, uterque idem vult. Accedit, quod Cornuti ἐντρέχεια et Dionis ἡ πολλὴ ἐπιμέλεια καὶ προμήθεια, Cornuti δυσχρηστεία et Dionis ζῆν ἀηδέστερον καὶ ἐπιπονώτερον inter se respondent.*)

Habemus igitur Stoicae mythorum interpretandorum rationis exemplum vel exempli vestigium media in cynica explicatione. Sed potestne Dio has sententias de Prometheo dictas e Stoico sumptas hic inseruisse? At alter tantum locus (§ 29) Stoicam interpretationem redolet, prior (§ 25) ex Cynicorum ratione mihi adumbratus esse videtur. Hic enim πῦρ proprie de vero igne dictum est, non de vi aliqua in eo occulta (προμήθεια). Atqui Cynici igne non utebantur ὡς μαλακίας καὶ τρυφῆς ἀφορμῇ, quod ex ipsa VI oratione bene cognoscas, Stoici autem, quibus πῦρ certe ἀδιάφορον erat, cur

*) In oratione VIII iterum Promethei mentio fit, sed ille locus ab hoc plane diversus est, ut infra exponam.

3*

Prometheum ob illam μετάδοσιν τοῦ πυρὸς punitum esse dicerent? Immo cynica est haec sententia et, quoniam cum aliis partis β sententiis, imprimis § 21 et 23 arte cohaeret totiusque partis argumento aptissima est, huius partis fonti ascribenda est. Ab hac autem § 29 seiungi non debet, nam verba καὶ οὕτως δὴ artum connexum demonstrant. Adde, quod haec verba et ea quae proxime antecedunt, eiusdem cogitationis sunt, προμήθεια enim et Προμηθεύς inter se cohaerent. Itaque ne § 29 quidem alio ex fonte hausta esse iudicanda est, atque ex quo tota pars β originem duxerit. Quem qui scripsit fontem, Stoicorum interpretationem (§ 29) et Cynicorum illud, quod fortasse ipse invenerat, (§ 25) contaminavit, quibus diatribam suam ornaret; ita in Dionis orationem venerunt.*)

Partem B tractantibus nobis primum reiciendum est, quod quis primo obtutu credat, epistulae 33 quidquam cum Dionis or. VI commune esse. Totius enim epistulae propositum, Diogenem verum divitem, Alexandrum verum pauperem esse, ita comprobatur, ut argumenta a Dioneis magno discrimine distantia afferantur.

Sed putaverit quispiam epistulam 40 paulo artius cum Dione cohaerere. Legimus enim § 3 τί οἴει σοι τὰ γιγνόμενα εἶναι ἀλλ' ἢ συμφορὰν καὶ φόβους καὶ κινδύνους μεγάλους ...... καὶ τοῦτο τὸ ζῆν δοκεῖ τι σοὶ εἶναι καὶ περὶ τοῦδε κινδύνους σοι εἶναι μάλιστα ποιεῖν τι τοιαῦτα ποιοῦντι; apud Dionem quoque tyrannum φόβοι vexant, quibus vexatus vitam agat miserabilem. Praeterea ep. 40 § 4 ...... παραδύεται nonne conferendum cum Dionis τῶν ἐν Βαβυλῶνι τειχῶν μηδὲν ὄφελος γιγνόμενον? At videamus, qua ratione et via procedat epistolographi argumentatio: Alexander ἀμαθὴς est, ergo κακός. Atqui τίς ἄνθρωπος μὴ δίκαιος οὐκ ἂν ἀτυχοῖ; ergo Alexander quoque ἀτυχής est; quamobrem afficitur φόβοις συμφοραῖς κινδύνοις, quibus a malis ne muris quidem nec validissimis custodiis se defendere potest, nam ut morbi, sic

*) Maximi Tyrii diss. XXXVI, quamquam multis locis cum Dione consentit, ob eam rem in quaestionem meam non vocavi quod ex Dione eum hausisse facile perspicitur. Etiam Capellius ita iudicat, pg. 48: „In hac dissertatione eum Dionis vestigia sequi manifestum est, quippe quem nonnullis locis verbo tenus reddat“.

timores et τὰ κακὰ τὰ τείχη ὑποδύεται. Itaque timores hic plane aliam causam habent, atque apud Dionem. Quia enim κακός est, non quia tyrannus, Alexander infelix est et timoribus commovetur. Neque τὰ τείχη eadem sententia dicuntur, apud Dionem enim de timoribus, in epistula de omnibus malis, quibus Alexander, cum sit ἀμαθής, afficiatur, agitur. Denique de morbis in epistula alia ratione disseritur, alia apud Dionem. Nihil nisi comparationis causa epistolographus de iis loqitur, Alexandrum veris corporis morbis laborare minime dicit. Itaque inter epistulam et Dionem ullam fontium communitatem esse nego. Hoc tantum concesserim, illam comparationem cum muris, quibus tyranni frustra se defendere conentur, factam ex Cynicorum usu et ad Dionem et ad epistolographum pervenisse.

Contra Dionis fons in epistula 29*) mihi latere videtur. Ibi enim, ut apud Dionem, § 36 seqq., exponitur tyrannum timoribus et angore vexari. His autem neque custodibus neque munimentis eum se liberare posse, — ἐν οἷς ὢν οἴει τι μᾶλλον διὰ τοὺς δορυφόρους ἢ τῆς ἀκροπόλεως τὴν εὐερκίαν ἀποστήσεσθαι αὐτῶν; cf. Dio § 38 (δορυφόροι hic quoque nominantur). Deinde neque ipsum tyrannum neque eius propinquos miseram eius condicionem intellegere: Ep. 29, 4: οὔτε οἱ συνόντες ὁρῶσιν ὅσον τὸ κακὸν ἔχεις οὔτε αὐτὸς αἰσθάνῃ, οὕτως ἐκ πολλοῦ καὶ σφόδρα ἧπται ἡ νόσος cf. Dio § 45 οἱ δὲ τύραννοι τὰ μέγιστα κακὰ ἔχοντες ἐν τοῖς μεγίστοις νομίζουσιν ἀγαθοῖς εἶναι e. q. s. Denique de perpetuitate malorum pariter apud utrumque disputatur: Epist: δι' ὧν μόνων ἀεὶ πάρεστιν, Dio: τοῦτο δὴ τὸ χαλεπὸν ἀεὶ πάρεστι τοῖς μονάρχοις. Ergo, cum non solum sententiae nonnullae, sed etiam verba quaedam his duobus auctoribus communia sint, facere non poterimus, quin eidem fonti utriusque explicationes tribuamus; sed magna utrumque libertate usum esse neque alterum omnes ex fonte sententias sumpsisse, quas apud alterum legamus, facile intellegitur.

Praeterea, quod iam autea dixi videmus Dionem multa de se addidisse easque sententias, quas in epistula paucis tantum verbis prolatas videmus, copiosissime et uber-

*) cum hac epistula conferri debet ep. 32.

rime tractavisse; ubi enim; ut exemplum afferam, epistolographus δορυφόρων mentionem facit, Dio totam paragraphum exhibet, deinde cf. τῆς ἀκροπόλεως τὴν εὐερκίαν cum Dionis § 37; deinde epistulae δι᾽ ὧν μόνων ἀεὶ πάρεστιν multis a Dione paragraphis rhetorice amplificatur. Ceterum, si ullius, certe Dionis est de paucis rebus plurima verba facere, imprimis de huiusmodi sententiis, quales in aliis quoque orationibus multas praestat (velut in orr. I—IV).

Alios praeter epistulam 29 fontes etsi indagare non potui, tamen Dionem aliunde petita inseruisse non negaverim.

De oratione VIII.

In oratione VIII etsi thema a Dione non proponitur, tamen facile cognoscimus pugnam cum laboribus et voluptate conserendam argumentum tractationis esse. Quod § 12—28 legimus, si rem omnem spectas, simplex et unum est, quod antecedit, prooemii locum tenet, quae sequuntur cuius naturae sint postea quaeremus. Proprie id quod § 12 incipitur, § 25 finitum est et paragraphis, quae sequuntur, aliquid novi inducitur, sed quod cum proposito artissime cohaereat; quin etiam exspectamus, ut post illam de laboribus explicationem narretur, quomodo Diogenes ipse hoc certamen subeat, quidque homines de eo cogitent. Hoc autem exponenti quid propius est, quam cum Hercule se comparare! Is enim apud omnes Cynicos semper velut summae virtutis exemplum fuit et laudibus elatus est, eiusque vita laborum plena, voluptatibus vacua hominibus effeminatis, quam imitarentur, proposita est. Omnia igitur, quae § 12—30 continentur, unius argumenti sunt, cuius duas discernere possumus partes. § 12—25 enim exponitur πόνους καὶ ἡδονὴν μάλα ἰσχυροὺς καὶ ἀνικήτους ἀνταγωνιστὰς εἶναι, quibuscum hominibus pugna sit conserenda, § 26 seqq. autem neque Diogenem cum laboribus pugnantem ab hominibus spectari, neque Herculem idem facientem ab iis spectatum esse, immo miserum esse habitum eum, qui, ut nemo alius, labores suscepisset οὐδὲν Εὐρυσθεῖ χαριζόμενος. Quae duae partes tractationis velut unius corporis membra tam arte inter se cohaerent, et quantum rem et quantum verba spectas, ut cur diversis eas

fontibus tribuamus causa non sit. Sed discrimen vereor ne sit inter has partes et ea, quae inde a § 31 sequuntur. Ibi enim enumerantur paucisque verbis designantur Herculis labores, sed non omnes; fortasse autem ocurrent labores electi eo consilio, ut demonstretur, quomodo Hercules labores ἀνταγωνιστάς habuerit, quot quantosque labores subierit. Quod si ita est, etiam hanc orationis partem cum antecedenti cohaerere arbitrandum est. Sed plane aliter rem se habere videmus. Minime enim ii labores eliguntur, qui gravissimi fuerunt. Diomedem enim τῷ ῥοπάλῳ παίων διήραξεν ὥσπερ πίθον παλαιόν; quantum laborem! Busirim διέρρηξεν ἐπὶ τὴν γῆν καταβαλὼν ὥσπερ τοὺς θυλάκους τοὺς σφόδρα γέμοντας. Nonne haec quoque verba facilitatem operis designant? In nullo denique labore narrando, quod secundum illam de laboribus suscipiendis explicationem expectamus, de operis magnitudine et difficultate agitur. Aliud prorsus consilium in his paragraphis cernitur:

Hercules pugnat πρὸς τὴν δόξαν ἢ τὰ θηρία καὶ ἀνθρώπων τοὺς κακούργους, pugnat contra perversitatem hominum, qualis in vivendi et cogitandi ratione manifesta sit. Hoc Herculis consilium demonstratur causis, quibus commotus agat, Diomedem et Busirim necet, Amazona vincat; imprimis autem quod de Prometheo servato narratur, hoc illustrat.

Itaque puto § 31—35 principio, id est in fonte, scriptas non esse, quibus explicatio de laboribus subeundis facta illustraretur, sed per se valuisse. Dio igitur has res aliunde petitas cum iis, quae antecedunt, coniunxit. Quod cur fecerit, facile est intellectu; nam cum exposuisset Herculem optime ostendisse, quomodo labores suscipiendi essent, quid propius erat, quam de Herculis laboribus loqui? Quos cum sine dubio facillime nullo omnino scriptore adhibito narrare potuisset, tamen, quoniam in cynica explicatione versabatur, Διογένους λόγους referebat. Itaque ex cynico fonte, ubi, quae de Herculis laboribus Cynicus nescio quis sensisset, dictum erat, hausit. Cuius fontis consilium diversum esse a consilio illius fontis, ex quo § 12—30 hauserat, aut non curavit, aut omnino non vidit, tamque accurate fontem expressit, ut et eius consilium et cynicae orationis color etiam nunc ex § 31—35 perluceat. Quod num allatis aliis scriptorum locis

firmetur, postea quaerendum mihi proposui; qua in quaestione fontem paragraphorum 12—30 littera x, fontem earum quae sequuntur, littera y mihi liceat significare.

§ 36 ab iis partibus quae antecedunt plane diversa, cum ad prooemium (§ 1—11) nos reducat, orationis vestitui attribuenda est neque aut cum fonte x ant cum fonte y quidquam habet commune.

Postquam ita tractationem certis finibus circumscripsimus tresque in ea partes (§ 12—25, § 26—30, § 31—35), quae duobus fontibus (x et y) tribuendae sint, distinximus, conferamus nos ad prooemium (§ 1—11); nulla sententiarum ratione cum eo argumento, quod § 12 seqq. tractatur, cohaeret. Immo scriptum est, quo tempus, locus, condiciones, quibus, quae sequuntur, dicantur, describantur, imprimis ut personae loquentis, Diogenis, natura et mores paucis designentur. — Quae in oratione VI de Diogenis moribus exponuntur, tractationis, non prooemii, sunt —.

Itaque totum hoc prooemium idem est, quod nos expositionem dicere solemus; singulae igitur, quae narrantur, res tantum quatenus eiusdem „expositionis“ partes sunt, inter se cohaerent, sententiarum ratione coniunctae nec esse debent nec sunt. Sed ex multis, quae de consuetudinibus et cogitandi ratione Diogenis circumferebantur, Dio ea, quae ad designandum illum idonea videbantur, electa hic composuit; etiam aliis rebus narratis idem, quod volebat, efficere potuit (quod orationem IX tractantes videbimus). Nulla enim, ut exemplum afferam, necessitate ea, quae § 2—3 de Antisthene et Diogene narrantur, cum aliis prooemii partibus coniuncta sunt. Dionis liberae compositionis haec omnia esse vel ex eo intellegitur, quod in oratione IX nonnulla legemus, quae iam hic exponuntur. Tamen pauca horum, imprimis quibus, quomodo Diogenes in ludorum conventibus se gesserit, describatur, quin iam in fonte x fuerinet, suspicio non plane abest, sed de hac re quaestionem postea instituemus. Nunc id agamus, ut ex aliis auctoribus, siquas cum Diones consentientes sentensias inveniamus, afferamus.

Ac primum quidem eandem sententiam, quam totius orationis summam esse statuimus, videmus et apud Stoicos

et apud Cynicos pervulgatam fuisse, qua philosophi homines admonerent, ut τοὺς πόνους fortiter subirent. Interdum etiam enumerantur singula genera laborum, velut Epist 31 πενία φυγή, ἀδοξία, δυσγένεια, φυγάδεια; ex hac epistula cum alia tum plures vias fuisse cognoscimus, quibus progredientes philosophiae praeceptores illud praeceptum commendaverint. Deinde conferas Ep. 12 σπούδαζε κατ' ἴσον ἡδονῇ ἀντιτάττεσθαι καὶ πόνῳ. In duabus his epistulis et sententia et comparatio a pugna sumpta cum Dione consentiunt, multis aliis locis sola sententia illa legitur, apud Xenophontem, Teletem (Bionem), Epictetum, Pseudoluciani Cynicum, Julianum, alios. Sed ex fere omnibus his auctoribus nihil certi de Dionis fonte concludi potest; neque dubito, quin multi fontes fuerint, ex quibus Dio, cum Diogenem de laboribus disserentem facere vellet, Διογένους de hac re λόγους haurire posset; testibus enim Epicteto et Diogene Laertio iam Antisthenes et Diogenes labores malum non esse dixerunt. Verisimile quoque est iam ab aliis Cynicis hanc rem tractatam esse Diogenisque sub nomine talia scripta exstitisse, qualium vestigia in libris nobis servatis occurrunt. Sed quo magis in apertum veniat fontium natura, eos testes arcessamus, apud quos cum universam sententiam tum hoc vel illud peculiare, quod cum Dione concinat, inveniamus.

Atque ex Telete*) cognoscimus illam sententiam, quam Dio § 17—19 praebet uberius explanatam, iam antiquitus traditam esse; quam Teles Bioni vindicat, Dio Diogeni tribuit; eadem in Epicteteis quoque scriptis (e. c. man. c. 43) est. Sed quamquam omnibus his commune est, quod dicitur omnes res vario modo tractari posse, alio modo tractatas dolorem parere, alio nihil mali habere, tamen eo differunt, quod apud Bionem et Epictetum, quo loco ea comprehendamus spectatur, apud Dionem autem fortiterne an ignave

*) pg. 6, 1 ὁ δὲ Βίων; ὥσπερ τῶν θηρίων, φησί, παρὰ τὴν λῆψιν ἡ δῆξις γίνεται, κἂν μέσου τοῦ ὄφεως ἐπιλαμβάνῃ, δηχθήσῃ, ἐὰν τοῦ τραχήλου, οὐδὲν πείσῃ· οὕτω καὶ τῶν πραγμάτων παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἡ ὀδύνη γίνεται καὶ ἐὰν μὲν οὕτως ὑπολάβῃς περὶ αὐτῶν, ὡς ἂν κρατῇς, οὐκ ὀδυνήσῃ, ἐὰν δὲ ὡς ἑτέρως, ἀνιάσῃ, οὐχ ὑπὸ τῶν πραγμάτων ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἰδίων τρόπων καὶ τῆς ψευδοῦς δόξης.

ea aggrediamur. At rursus hoc Dioni et Bioni commune est, quod τὰ πράγματα mordere dicuntur.

Itaque ad Bionem mihi redire videntur Dionis sententiae, sed non ex ipso illo haustae esse. Multo etiam longior est explicatio huius, quam illius caretque acuto illius et vere cynico dicendi genere. Praeterea Dio nonnullas comparationes exhibet, quas apud Teletem non legimus, (pugillandi peritum, ignem) pro Bionis autem serpente Dio canem habet, quo Cynici, praecipue posteriores, ubi poterant, utebantur (cf. Diogenis epistulas) Itaque mea quidem sententia fontis x auctor illud Bioneum paulo mutatum et amplificatum in diatribam suam inseruit; ita ad Dionem pervenit, qui fortasse ipse quoque nova addidit.

Tertius accedit Clemens Alexandrinus, qui Paed. III, 35 dicit πλοῦτον animali similem esse, quod, si quis non recte tractet, mordeat: ἐοικέναι γοῦν μοι δοκεῖ ὁ πλοῦτος ἑρπετῷ, ὃ εἰ μή τις ἐπίσταται τὸ λαβέσθαι ἀβλαβῶς πόρρωθεν ἀκινδύνως ἄκρας οὐρᾶς ἀνακρήμνας τὸ θηρίον, περιπλέξεται τῇ χειρὶ καὶ δήξεται· δεινὸς δὲ καὶ ὁ πλοῦτος ἰλυσπώμενος παρὰ τὴν ἔμπειρον ἢ ἄπειρον αὐτοῦ λαβὴν προσφῦναι καὶ δάκνειν εἰ μή τις αὐτῷ καταμεγαλοφρονῶν ἐπιστημόνως χρῷτο. Hoc potissimum cum Dione concinit, quod praescribitur, ut fortiter et contemptim illud animal tractemus et ita vincamus καταμεγαλοφρονοῦντες. Itaque Clementis quoque comparationem ex Bione originem duxisse puto; attuli autem hoc testimonium, ut videas, non solum apud Dionem illud dictum Bionis ita commutatum esse, ut pro loco, quo πράγματα aggredienda sint, fortitudo poneretur; καταμεγαλοφρονῶν enim Bioneo dicto aptum non est; sed cum Clemens etiam ἐπιστημόνως dicit, servat veteris dicti vestigium, quod in Dione non iam invenitur. Atqui verisimile non est utrumque auctorem, (et Dionem et Clementen) ipsum sua sponte eadem ratione illud dictum ita mutasse. Ergo uterque ex fonte hausit, ubi iam fuit mutatum. Firmatur igitur, quod antea dixi, Dionem non ex ipso Bione hausisse (neque ex ipso Telete) et suspicio oritur etiam Clementem sua fonti x debere.

Dionis Circae mythi interpretatio digna est, quae comparetur cum Xenoph. Mem. I. 3, 7, Jul. VI 185 a, Heracl. de incred. 16. Omnes hi pari fere modo exponunt eum qui

voluptati et libidinibus inserviat et ὑπὲρ τὸν κόρον satiatus sit, Circae sacrum esse et in suem mutari; etiam habere multa invitamenta voluptatem dicit Xenophon: τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν et Heraclitus: ἀρεσκείᾳ παντοδαπῇ ἐπεσπᾶτο; quae conferas cum Dionis οὐχ ἁπλῶς ἐπιβουλευούσης. Hos inter locos aliquam rationem intercedere quis negaverit? Illa enim, qua Socrates utitur apud Xenophontem mythi interpretatio videtur a posterioribus, et Cynicis et Stoicis, usurpata et vario modo amplificata et pervulgata esse.

Eiusdem interpretandi rationis aliud exemplum apud Julianum exstat, ubi, aeque ac Circe, Lotophagi dicuntur homines voluptati cedentes pellicere et in potestatem suam redigere. Huius mythi accuratam et Stoicae philosophiae vocabulis refertam interpretationem habemus apud mythographum anonymum (West pg. 330). Itaque et Circe et Lotophagi ad eandem rem illustrandam adhibebantur, vel in iis eadem allegorica interpretatione utebantur philosophi. Ex illis igitur locis intelligas, quam usitata fuerit illa interpretatio, et quam multi fontes fuisse possint, ex quibus Dio sua sumere potuerit. Sed videamus, cuinam ex scriptoribus allatis Dio simillimus sit.

Apud Heraclitum, mythorum collatorem, qui tot reliquias Stoicae mythorum interpretandorum rationis servavit, Socraticam illam interpretationem talem legimus, qualis, quantum ad rem et sententiam pertinet, Xenophontis sententiae fere par sit, forma autem et verbis multum ab illa abhorreat. Mythographo enim Circe ἑταίρα est, eaque narrandi forma Stoicorum et Cynicorum ratione optime convenit. Atqui Dio hic cynicam diatribam refert. Deinde quae de Circe § 21 et 25 dicit artissime cohaerent et cum iis, quae antecedunt et cum iis, quae sequuntur. Ergo haec quoque illi cynico fonti, non Xenophonti deberi putanda sunt. Adde, quod, Heracliti ἑταίρα comparari potest cum Dionis ἀφροδισίοις διαφθεῖραι πειρωμένη, cuius rei apud Xenophontem nullum habemus vestigium. Deinde Heracliti ἀρεσκείᾳ παντοδαπῇ confer cum Dionis οὐχ ἁπλῶς ἐπιβουλευούσης. Heracliti ταῖς ἐπιθυμίαις ἀλογίστως φερόμενοι πρὸς τὰς ἡδονάς cum Dionis ἐπιθυμοῦντες μὲν τῆς ἡδονῆς, Heracliti προσπαθείᾳ κατέσχε cum Dionis θεραπεύουσιν ἐκείνην ἀεὶ περὶ τὰς θύρας ὄντες.

Quae si consideramus, ex Xenophonte ipso Dionem hausisse non iam putabimus, sed ex fonte aliquo, qui illius allegoricae interpretationis talem formam, qualis apud Stoicos usitata fuit, praestiterit. Hunc ad Xenophontem redire iam exposui. Sed cum in his rebus Stoici et Cynici inter se simillimi fuerint, non mirabimur, quod in cynica diatriba (in fonte x) Stoicorum interpretationis exemplum infuerit.

Accedamus nunc ad ea quae Dio § 27 seqq. praebet. Herculem enim, summum virtutis cynicae exemplum, a multis qui praecepta moralia dabant, philosophis hominibus saepissime propositum esse, cuius vitam laborum plenam imitarentur, iam vidimus; iam quaeramus, num quid ab his quaestioni nostrae suppeditetur.

Diogenes Laertius, VI, 71, tradit Diogenem suam ipsius vivendi rationem cum Herculis comparavisse, sed, cum diligentius, qua ratione hoc Diogenes fecerit, ex Laertio non discamus, nihil de Dionis fonte docemur. Maiorem lucem affert Pseudoluc. Cyn. § 13 ubi, postquam expositum est eos, qui minimis rebus indigeant, deorum simillimos esse, Hercules exempli loco est, quo demonstretur, non miserum esse eum, qui frugaliter et cum laboribus vivat, immo omnes vicisse, omnibus imperasse Herculem: ἐγκρατὴς ἦν καὶ καρτερικὸς καὶ κρατεῖν ἤθελε καὶ τρυφᾶν οὐκ ἐβούλετο (cf. Dionis § 30). Etiam alios a malis Herculem defendisse tradit, sed paucis tantum verbis et ita ut amplificandae eius virtutis potissimum causa dictum esse manifestum sit.

Maximam cum Dione similitudinem invenimus in Epicteto, III, 22, 57 Ἀλλ' ὁ μὲν Ἡρακλῆς, ὑπὸ Εὐρυσθέως γυμναζόμενος, οὐκ ἐνόμιζεν ἄθλιος εἶναι, ἀλλ' ἀόκνως ἐπετέλει πάντα τὰ προσταττόμενα, quod conferas cum Dione, § 28 τὸν δέ Ἡρακλέα ..... Epict. § 58 Ἄκουε τί λέγει ἐκεῖνος (Diogenes), πυρέσσων, πρὸς τοὺς παριόντας· Κακαί, ἔφη, κεφαλαί, οὐ μενεῖτε; Ἀλλ' ἀθλητῶν μὲν ὄλεθρον ἢ μάχην ὀψόμενοι, ἄπιτε ὁδὸν τοσαύτην εἰς Ὀλυμπίαν· πυρετοῦ δὲ καὶ ἀνθρώπου μάχην ἰδεῖν οὐ βούλεσθε; conferas cum Dione, § 26—27.

Accedit Epicteti diss. II 16, 44 Ὁ Ἡρακλῆς εἰ τοὺς ἐν οἴκοι παρέκαθητο, τίς ἂν ἦν; Εὐρυσθεὺς καὶ οὐχὶ Ἡρακλῆς. Ἄγε πόσους δὲ περιερχόμενος τὴν οἰκουμένην, συνήθεις ἔσχε καὶ φίλους; ἀλλ' οὐδὲν φίλτερον τοῦ θεοῦ· διὰ τοῦτο ἐπιστεύθη Διὸς εἶναι υἱός

καὶ ἦν. ἐκείνῳ τοίνυν πειθόμενος περιῄει καθαίρων ἀδικίαν καὶ ἀνομίαν. Ἀλλ' οὐκ εἶ Ἡρακλῆς καὶ οὐ δύνασαι καθαίρειν τὰ ἀλλότρια κακά; ἀλλ' οὐδὲ Θησεὺς τὰ τῆς Ἀττικῆς καθάρῃς; τὰ σαυτοῦ κάθαρον, ἐντεῦθεν ἐκ τῆς διανοίας ἔκβαλλε ἀντὶ Προκρούστου καὶ Σκίρωνος λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν φιλαργυρίαν, ἀκρασίαν. Hoc coit cum Dionis § 30 seqq. praecipue § 35.

Hos duos Epicteti, cum longe maioris momenti sint quam aliorum loci, primos mihi sumam tractandos. Quorum in priore (II, 15) hoc ante omnia spectatur, Herculem terram a malis liberavisse, nulla mentione facta laborum magnitudinis et cynicae vitae rationis, in altero (III, 22) de laboribus maxime agitur neque ullo verbo dicitur, Herculem terrae purgandae aut hominum liberandorum causa tanta perfecisse. Plane igitur diversi generis sunt sententiae his locis prolatae. Quod discrimen etiam magis illustrare potest Theseus, qui et ab Epicteto (II, I6) et a „Cynico“ exempli gratia affertur. Apud illum enim, ut Hercules, terrae a malis purgandae exemplum est, apud Pseudolucianum autem cynicae vitae consuetudinis laborum plenae, ut Hercules, exemplar proponitur. Vides igitur duarum rerum Herculem*) cynicis philosophis exemplo fuisse, quarum alteram ex Epict. II, 16, alteram ex Epict. III, 22 et Cynico cognoscamus.

Quod si tenemus, maximam iam agnoscemus similitudinem inter Epict. II, 16**) et Dionem § 31 seqq., inter Epict. III, 22 et Dionem § 26—80. Novo hoc igitur argumento firmatur, quod antea dixi Dionis de Hercule explicationes ex duobus fontibus esse conflatas. Nam si, postquam duas diversas de eadem re cogitandi rationes investigavimus, priorem explicationis partem cum altera ratione, alteram cum priore consentire videmus, certe hae quoque explicationis partes inter se distiguendae sunt.

---

*) Theseus easdem apud hos philophos partes agit atque Hercules; nihil igitur refert Epictetum II, 16 inde a verbis ἀλλ' οὐδὲ Θησεὺς non Herculis labores laudare sed Procrusten et Scirona superatos a Theseo.

**) Cum hoc Epicteti loco conferas diss. II 16, IV 10, 10, III 24, 14, III 26. 32.

Epict. II, 16 ex ipso fonte y, Epict. III, 22 ex ipso fonte x fluxisse ex hac consensione minime sequitur, tamen fieri potuit. Quibus locis comparatis et, quae de fontis utriusque consilio dixi, firmantur et nova quaedam, ex quibus accuratius eorum naturam cognoscamus, lucramur Epict. II 16, enim allato suspicio non abest, in fonte y Herculis labores enumeratos fuisse, non ut demonstraretur, quantos ille labores suscepisset et quomodo contra πενίαν, φυγήν, ἀδοξίαν, similia pugnavisset, sed quomodo terram a malis, homines a libidinibus, a dementia, a falsis opinionibus liberavisset. Idem de Hercule dicitur Epist. Diog. X, ubi Metrocli praescribitur ut Hercule exemplo usus pugnet μὴ πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν δόξαν, ᾗ πάντῃ μάχου κἂν μηδέν σε ἐπείγῃ. Ita igitur Hercule exemplo uti solebant philosophi, qui moralia tractabant. Labores autem eius qua ratione allati sint, discimus ex Epicteto (II, 16), qui homines admonet, ut contra ipsorum cupiditates et affectus ita pugnent, ut Hercules contra aliorum perversitates bellum gerens terram ab iniuria purgaverit. Eodem modo apud Dionem eius labores exponuntur, ut demonstretur, quomodo contra pravitates, quas in aliis cernebat, pugnaverit. Conferas enim, quas causas Dio afferat laborum: Diomedem necat, ὅτι ποικίλην εἶχεν ἐσθῆτα καὶ καθῆστο ἐπὶ θρόνου πίνων δι' ἡμέρας καὶ τρυφῶν καὶ τοὺς ξένους ἠδίκει καὶ τοὺς ὑφ' ἑαυτοῦ, πολλὴν ἵππον τρέφων, bellum igitur luxuriae et iniuriae infert. Geryonem interficit πλείστους βοῦς ἔχοντα καὶ τῶν πρὸς ἑσπέρας ἁπάντων πλουσιώτατον ὄντα καὶ ὑπερηφανώτατον, pugnat igitur contra nimias divitias et superbiam. Busirim εὑρὼν πάνυ ἐπιμελῶς ἀθλοῦντα καὶ δι' ὅλης ἡμέρας ἐσθίοντα καὶ φρονοῦντα μέγιστον ἐπὶ πάλῃ occidit, Amazona, quia pulchritudine gloriata sit, poena afficit, alios labores similibus causis ductus perficit. Eiusdem generis causis commotum Herculem agere videmus apud anonymum mythographum (West. pg. 346) ubi s. v. ἀσεβεῖς narratur, quomodo Hercules Lityersem, malum hominem et κακόξενον, necaverit.

Epictetus autem dubium est utrum ipsum fontem y noverit, an solum ex Cynicorum et Stoicorum Herculis laboribus utendi ratione, de qua cum a fonte x tum ab aliis doceri poterat multis, sua adumbraverit.

Videamus nunc, quid de fonte x nobis praebeat Epictetus. Cum et § 27 et § 28 in eodem Epicteti loco reperimus, hoc novo argumento quam arte illae paragraphi inter se cohaereant, demonstratur. Verisimile tamen est, ea, quae nunc de Pelope legimus, in fonte uberius fuisse tractata, nam verbis τὸν δὲ Ἡρακλέα πονοῦντα ...... sententia quae sequitur, magis ad ea, quae ante enuntiatum de Pelope dictum exposita erant, adnectitur, quam ad hoc ipsum interque τινα εἶχεν et τὸν δὲ Ἡρακλέα cogitandi quaedam lacuna mihi videtur esse. Itaque horum verborum, quibus ad § 27 Dio redit, iteratione demonstratur sententiam proxime enuntiatam abruptam esse. Quod si ita interpretamur, non iam offendemur illa dittographia. Praeterea ex Epicteto concludi mihi videtur posse illam comparationem, qua οἱ πόνοι dicuntur ἀνταγωνισταί et suadetur μάχη πρὸς τοὺς πόνους, antiquissimam esse, fortasse ipsius Diogenis sive Antisthenis*). Etiam, quod narratur in ludorum conventu de talibus disseruisse Diogenes, ad antiquissimos Cynicos redire videtur neque inventum esse a Dione. Ergo hoc mihi fere modo, quae inter Epictetum et Dionem ratio intercedat, fingo: Et sententiae utriusque explicationibus subiectae et harum explicationum vestitus antiquissimorum Cynicorum, fortasse Diogenis fuerunt- Ex his quasi elementis alia ex parte cynica diatriba facta est, multis aliis rebus, — cf. id quod de Circe dicitur, — exornata et amplificata — ex hac, id est, ex fonte x Dio hausit — alia ex parte Epictetus sua libere conformavit, quibus in dissertatione sua uteretur. Dionis fontem eum cognovisse non est cur suspicemur.

Cynici auctori, cum § 13 et 14 — nam quod de Theseo dicitur, sub eodem aspectu ponendum est, — conscriberet, hunc fontem (x) obversatum esse verisimile est, tamen pro certo hoc non dicam.

§ 33 Promethei a Dione mentio fit ab Hercule servati, quod comparandum est cum iis, quae in oratione VI de eodem dicta erant. Cum eo autem illius orationis loco,

*) cf. Weber pg. 136 seqq.

quem a Stoicorum interpretatione petitam esse dixi, huic loco nihil commune est. Nam illic aquila iecur Promethei devorans ita explicatur, ut sit sollicitudo mordax, προμήθεια, πολλὴ ἐπιμέλεια (= ἐντρέχεια, Cornut.). Hic autem ne mordet quidem ulla aquila, neque omnino mordetur Promethei iecur, sed tumescit laudato, decrescit vituperato; non mordent eum cura et sollicitudines, sed superbia, vanitas, gloriae cupiditas infelicem et aegrotum eum reddunt; cui medetur Hercules, quippe qui πολεμητέον esse πρὸς τὴν δόξαν putet. Neque magis cum cynica illius orationis sententia haec cohaeret; nihil enim hic de igne, omnium malorum auctore, dicitur. Praeterea illic Prometheus τῆς μαλακίας καὶ τρυφῆς auctor fuit, hic eius superbia et gloriae amor spectantur. Errat igitur Duemmlerus, cum in Antisthenicis pg. 14 dicat Dionis VI 25 et 28 eodem pertinere, quo VIII 33. Contra iure puto eum Themistium, περὶ ἀρετῆς, huc afferre*) Illud quoque ei concedam, in utroque loco (Dion. et Themist.) Antisthenis Herculis latere vestigia, sed non ita, ut putes Dionem ex Antisthene hausisse. Nam quae de Prometheo hic dicuntur quaeque sequuntur et quae antecedunt, unius generis et unius originis esse apparet, neque Prometheus servatus ab aliis hic enumeratis Herculis laboribus dirimi potest. Itaque Dio ex eodem fonte y id quoque, quod de Prometheo exhibet, hausit; fontis y auctorem Antisthene usum esse non abiciam. Qua re concessa suspicari possit quispiam etiam ex aliis fontis y partibus, ex iis, dico, quae inde a § 31 legimus, hoc vel illud Antisthenis esse. Sed ut certi aliquid de his rebus dicam, nullam habeo adhuc ansam.

Addere possum Dionem eadem, qua § 33, imagine or. IV § 128 uti, ubi dicit laudato homini elevari animam, vituperato decrescere; sed orationis VIII locus omnia prioritatis signa prae se fert.

In iis, quae perfecerit Hercules mundum purgans, etiam narratur, eum Diomedem et Busirim, malos homines, interfecisse. Hos malos et insanientes esse, contra quos boni et sapientes bellum gerant, similiter legimus in Luciani ver.

---

*) Iam Buechelerus, Mus. Rhen. vol XXVII pg. 451 similiter iudicavit.

hist. II, 23; Diomedes enim et Phalaris et Busiris et Sciron (cf. Epict II, 16, 45) et Pityocamptes insanientium apud inferos partes agunt, Theseus Achilles Aiax Socrates bonorum, qui contra illos pugnent. (cf. etiam Luc. bis. accus. 8.) Quod eiusdem cogitationis est, quam apud Dionem inde a § 31 verbis expressam videmus. Sed vulgaria haec sunt nec magni momenti.

Eiusdem rationis aliud exemplum ex ipso Dione petere possumus; nam V, 21 haec dicit: "Ὕστερον δὲ Ἡρακλέα τὴν σύμπασαν γῆν καθαίροντα ἀπό τε τῶν θηρίων καὶ τῶν τυράννων κἀκεῖσε ἀφίκεσθαι ......, hac interpretatione utens, ut dicat Herculem terram a cupiditatibus liberatam mansuetam reddidisse. Quam interpretationem Dioni tribuo*) Nam cum, ut ex oratione sequitur, illam Cynicorum de Hercule iudicandi rationem novisset, illam rationem memoria tenens optime hoc nullo omnino fonte utens dicere poterat. Accedit, quod genus dicendi hic plane Dioneum est neque ullum Cynismi vestigium cernitur, quae multa sunt in oratione VIII**).

Prius quam Dionis explicationes de laboribus subeundis factas relinquam monendum mihi videtur esse, etiam in his, quamquam Cynicis fontibus se applicaverit, nonnulla esse posse, quae de se Dio addiderit. Quod cum ex aliis tum ex eo concludam, quod in oratione I, quae est de regno, § 21 sententias aliquas profert, orationi VIII simillimas. Videmus igitur tales sententias, praeterquam quod omnino satis tritae fuerint, Dioni facillime praesto esse potuisse.

De oratione IX.

Orationi IX non unum et simplex argumentum est, sed constat ex multis non ita magnis narrationibus, § 1—3, § 4—5, § 6—7, § 7 τέθνηκεν —9, § 10—13, § 14—21, § 22. Omnibus autem his commune et proprium est, quod demon-

---

*) Iam Hagenus hoc coniecit pg. 8.

**) cf. quae Hagen pg. 8 de hac re dicat.

strant, quomodo Diogenes ἐν πανηγύρει se gesserit, quantum ad homines admonendos et corrigendos eorum mores contulerit opera et consilio. Itaque hic multa rursus, quae iam ex oratione VIII novimus, repeti non mirabimur. Iam illic vidimus Dionem, ut quod vellet, efficeret, complures fabulas, quae de Diogene circumferebantur, conseruisse undique haustas. Hic cum omnes orationis particulae id agant, ut Diogenem in Isthmiis hominum praeceptoris partes agentem describant, multo artius inter si cohaerent, quam illius orationis partes, in quibus non semper illud spectatur (cf. VIII § 2). Orationis IX narrationes quasi unius tabulae pictae colores sunt; sed ut pictor nec certo numero colorum coercetur nec certis et praescriptis coloribus uti debet, ita Dioni quoque licebat ex magna talium fabularum copia, quam Cynicorum scripta praebebant, eas, quae bonae ei videbantur eligere et componere. Non nullae igitur, quae in or. VIII ad eandem rem depingendam narratae sunt, hic desunt, alias, quas illic neglexerat, hic profert totaque compositio et dispositio Dionis est; poterat quoque alias res, quam quas protulit, proferre; nulla enim earum, quae leguntur a nobis, aut aliarum aut totius argumenti causa necessaria est. Itaque neque VIII § 1—11 neque hic unus fons totius descriptionis statuendus est. Sed non magis verisimile est unicuique historiolae proprium fuisse fontem. Addi potest, hic liberius compositum esse, quam in or. VIII. Nam hic, quae de Diogene in ludorum conventu versante narrantur, multo maius spatium tenent copiosiusque narrantur; exempli causa videas id, quod in or. VIII una paragrapho 8 legitur, hic tribus paragraphis exponi. Sequitur, ut hic oratio multo magis Dionea sit, amoena et facile currens.

Sed, quod antea dixi de particulis orationis, aliquanto videtur mutandum esse. Duae enim earum paulo ab aliis discedunt, § 10—13 et § 14—21, ipsa longitudine praeter ceteras excellentes. Nam cum aeque ac reliquae illi communi consilio satisfaciant, etiam scriptae esse videntur, quibus de Diogenis vivendi principiis vel dicam de eius philosophia aliquid doceamur. In priore narratione (α) Diogenes ea quibus homines omnibus viribus studeant, ullius pretii esse

negat; solum id hominibus dignum esse, quod sit difficillimum, pugnam cum laboribus, affectibus, voluptate conserendam; altera narratione (β) exemplum datur, quomodo Diogenes hominum, qui Isthmicae coronae studeant, stultitiam coarguere solitus sit. Dixerit igitur quispiam hac altera narratione illud de laboribus et voluptate praescriptum comprobari et commendari. At non id, quod in priore narratione affirmatur, sed tantum id, quod negatur, in altera redit. Itaque quatenus § 14—21 demonstratur hominum certamina nihil valere, οὐ γὰρ νικήσαντες οὐδένα ἀγῶνα περιέρχονται στεφάνους ἔχοντες, altera ex priore pendet et ab aliis narrationibus, quae omnes per se stant, differt. Sed licet hoc ita sit, tamen maxime eo consilio haec scripta sunt, ut uno praeclaro exemplo demonstretur, quid Diogenes potuerit in convincendis hominibus, quam prompta lingua fuerit in eorum opinionibus ad ridiculum convertendis, non sine sophistica quadam arte. Hoc contituto quaeramus, numquid de fontis natura ex Dione discamus, si modo ex fonte hausit. Verum ut investigemus, dialogum, quem § 14—21 legimus, accuratius inspicere debemus.

Si ab initio scriptus esset, quo victor ille moneretur, ut labores, affectus, voluptatem antagonistas sibi sumeret, certe hanc fere in eo sententiam inveniremus: „Id, o Itsthmionica, certamen, quod nunc tibi cum hominibus est, indignum te est; tam infirmis adversariis victis gloriam tibi parare non potes; proinde non homines, sed labores ad pugnam provoca". Quod ut postulem, adducor imprimis verbis τῷ παντὶ χαλεπωτέρους (§ 12) et οὐ γὰρ νικήσαντες οὐδένα ἀγῶνα (§ 13). Quid autem Dio habet?

„Tuum certamen operae pretium non est, nam eo nequaquam melior neque sapientior neque magis ad beate vivendum idoneus fis. Haec sententia cum illa quid habet commune? Sane Cynicorum fuit homines cum laboribus et voluptate certantes beatos habere, sed de hac re nihil § 11—13 dictum erat, sed expositum erat ob maiorem difficultatem et dignitatem hanc pugnam praeferendam esse. Itaque si altera narratio prioris comprobandae causa inventa esset, in ea sententiam a narratione α plane alienam non legeremus neque omnino deesset illa, quam exspectamus,

argumentatio, (in epistula 31 hanc habemus, sed de hac postea dicendum erit).

Ergo etiamsi nunc cum narratione α hanc cohaerere non negem, tamen principio orta esse non potest, ut illius argumentatio sit. Immo puto eam per se valuisse in Dionis fonte, eo consilio, quod supra denotavi, potissimum scriptam ut ostenderetur, ὡς Διογένης εὐπόρει λόγου καὶ ἀποκρίσεως,

Ex fonte autem sumptam eam esse neque inventam a Dione, primum mihi elucere videtur ex ratione, qua mythi adhibeantur; nam quod de Hercule et Achille narratur, Cynicos nimis sapit, quam ut a Dione fictum esse possit. Accedit quod, cum ante πόσον et ante οἱ δὲ κόρυδοι hiet oratio, verisimile non est Dionem, arte dicendi florentissimum, haec de se dicere: Alios hic exscripsit vel composuit; magis haec mea sententia postea comprobabitur aliis auctoribus allatis. Sed cur Dio hanc narrationem profert? Videbatur ei maxime idonea, qua in Diogenis consuetudinibus depingendis et dictis referendis uteretur; hoc ipso autem loco inseruit, quia aeque ac § 11—13 describebatur, quid Diogenes de ludis et certaminibus hominum cogitasset et dixisset, et quia obiter legenti hac illa comprobari videbatur; re vera β ab α differre aut non perspexit aut non curavit.

Postquam orationis partes distinximus et explicavimus, qua ratione inter se cohaereant, alios testes arcessamus.

Ac primum narrationem α cum ipsius Dionis oratione VIII, § 11 seqq., multis locis consentire nemo est, quin videat:

I Diogenis λόγοι, et quae or. VIII et quae IX α referuntur, eodem loco dicti esse finguntur;

II Causa, cur dicantur eadem fuit; respondet enim in utraque oratione Diogenes quaerentibus ex eo, quid in Isthmicis ludis faciat.

III In utraque oratione Diogenes se certare dicit

IV Aliis certantibus se opponit et anteponit.

V Alios acerbissime increpat.

VI Multae sententiae, multa verba similia sunt:

a) VIII πολλοὺς ἀνταγωνιστὰς καὶ μεγάλους τῷ παντὶ δὲ χαλεπωτέρους

IX τοὺς χαλεπωτάτους καὶ ἀμαχωτάτους ..... μάλα ἰσχυροὺς καὶ ἀνικήτους.

b) VIII οὐ μέντοι διατρέχοντας ἢ παλαίοντας ἢ διαπηδῶντας καὶ ἀκοντίζοντας καὶ δισκεύοντας

IX οὐχ οἷα ταῦτά ἐστι τὰ ἀνδράποδα τὰ νῦν ἐνταῦθα παλαίοντα καὶ δισκεύοντα καὶ τρέχοντα.

c) VIII πενίαν φυγὴν ἀδοξίαν

IX πενίαν καὶ φυγὴν καὶ ἀδοξίαν

d) VIII οἷς οὐδεὶς δύναιτο ἀντιβλέψαι τῶν Ἑλλήνων

IX ᾗ οὐδεὶς οὔτε τῶν Ἑλλήνων οὔτε τῶν βαρβάρων ἀξιοῖ μάχεσθαι e. q. s.

e) VIII ἢ σὺ οἴει τούτων τι ὄφελος εἶναι τῶν τὰς μεγάλας κοιλίας ἐχόντων

IX τῷ πλείστων κρεῶν γέμοντι.

Tam manifeste haec consentiunt, ut facere non possimus, quin ea eidem fonti tribuamus.

Sane forma et vestimento orationis, ut ita dicam, paulo differunt. Utra autem forma ab origine propius abest? Quod Diogenes coronam victoris sibi ipse, cum labores et libidines vicerit, imponit, multo aptius Diogenis facetiae et sali iocoso est; multo magis hic suam agendi et dicendi rationem ostendit, quam in iis, quae VIII, 11 narrantur. Oratio IX igitur magis antiquam narrationis formam, quam oratio VIII, praebet; quod si mihi das, or. VIII, 11 Dionis esse debet, quam rem ita explicandam esse puto: Dio Diogenem coronam sibi imposuisse Corinthiorumque venisse legatos, qui ut deponeret, imperarent, or. VIII non dicit, sed, ut hoc compensaret, eam formam rei, quam fons praebuerat, paulo mutans aliquem ex Diogene quaerentem finxit, utrum spectator venisset, an ut ipse certaret; quod, quoniam Diogenes dixisse dictus erat se adversarios difficillimos vicisse, facile erat inventu; nam cum hoc Diogenes dixit, dixit se non spectatorem esse, sed certare. Itaque iure mihi coniecisse videor VIII, 11 seqq. et IX, 11—13 ex eodem fonte fluxisse, sed ita, ut, quae in or. VIII copiose exposita sint, in or. IX paucis tangantur, velut id quod, cum or. IX tantum verbis τῷ πλείστων κρεῶν γέμοντι notetur, in or. VIII

§ 14 uberrime tractatur; in quibus etiam a Dione addita inesse verisimile est.

Tamen in iis, quae IX, 11 exponuntur, difficultas latere videtur, dico in verbis ὀργή λύπη ἐπιθυμία φόβος; haec non bene coire videntur cum verbis πόνοι φυγή ἀδοξία, quae uno nomine πόνοι complecti possumus, neque cum or. VIII eiusque fonte x. Haec contra hominum affectus et cupiditates conserenda pugna aliquid novi iuducit, quod non eiusdem generis ac πόνοι sit. At haec quoque in iis numerari, contra quae hominibus pugnandum sit, didicimus ex Epicteto II 16, 44 τὰ σαυτοῦ κάθαρον, ἐντεῦθεν ἐκ τῆς διανόιας ἔκβαλε ...... λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον e. q. s. conferas etiam Diog. Epist. V εἰ μὲν ταῖς δόξαις ἤδη πολεμεῖς, λέγω δὲ τοῖς ἰσχυροτάτοις ἐχθροῖς καὶ πλείονα καταβλάπτουσί σε Θρᾳκῶν τε καὶ Παιόνων, καταστρεφόμενος τὰ τῶν ἀνθρώπων πάθη, μεταπέμπου με, δύναμαι γὰρ εἰς τὸν πρὸς ταῦτα πόλεμον καὶ στρατηγεῖν. Concinit etiam Diog. Ep. X 2, ubi Herculis exemplum proponitur, quod sequentes homines contra falsas opiniones pugnent: μὴ πρὸς τὴν ἀλήθειαν εἶναί σοι τὴν μάχην τοῦτο πράσσοντι, ἀλλὰ πρὸς τὴν δόξαν, ᾗ πάντῃ μάχου κἂν μηδέν σε ἐπείγῃ. καλὸν γάρ τοι ἔθος καὶ ὁ πρὸς τὰ τοιαῦτα πόλεμος. cf. etiam Luc. vit. auct. 8.

Omnes horum locorum sententiae velut una cogitandi via ingrediuntur, sed ex uno scripto eos haustos esse dicere non coner. Nam inter principalem fontem — fortasse Diogenem ipsum — et eos scriptorum locos, quos nos habemus, quae fuerint interposita indagari non potest. Praecipue Epictetus, qui de his omnibus auctoribus maxime vel solus philosophi nomine dignus est, dubium est, num eum librum, ex quo Dio hausit, noverit.

Hoc autem dici potest, Dionis IX α aliquo modo etiam cum orationis VIII fonte y cohaerere. Dio, cum reliqua ex fonte x hausisset, haec, πάθη, ἐπιθυμίας, ex fonte y hic immiscuisse, sive consulto sive inconsulto, putandus est; eiusdem fontis (y) vestigia apud Dionem Epictetumque servari vel ex verbis λύπη φόβος ἐπιθυμία cognoscas apud utrumque etiam nunc lectis. Praeterea quid magis ex rei natura est, quam ut Dio, qui tot orationis IX locis iisdem fontibus usus est, quibus in or. VIII, hos quoque colores alicui illius orationis fonti debeat. Ita et quod conieci

or. IX 11 πάθη ἐπιθυμίας ex fonte y petita esse, et quod dixi in fonte y de affectibus et cupiditatibus disputatum esse, aliud alio nititur.

Tamen haec mihi videntur monenda esse:

Illae duae cogitationis rationes, quibus fontem x et fontem y tribuere debemus, si accurate consideras, nonnulla habent inter se communia, sed prout aut hoc aut illud eorum, quae communia non sunt, maxime spectatur, in diversas partes digrediuntur. Ita illa duo scripta (x et y) rami tantum sunt unius stirpis, cuius radices in Antisthenis Hercule fuisse videntur,*) sed, quales nos nobis ea scripta fingere debemus, magno spatio inter se distant; nam ut iam dixi, quae de Hercule VIII 26—30 et quae inde a § 31 proferuntur, nullo pacto coëunt. Tamen cum hoc negem, concedo et ultra et citra, ut ita dicam, illos duos fontes sententias inveniri posse utrique aptas; velut ἐπιθυμία quasi medium interpositum est inter eas, quas notavi, cogitationis vias. Proprie illa quidem fontis y rationi tribuenda est, ubi cupiditates libidines affectus falsae opiniones enumerabantur, tamen cum voluptate quoque cohaeret, de qua, cum sit labori contraria, in fonte x agebatur; cohaeret autem cum voluptate, quia voluptas efficit, ut homines voluptati studeant (VIII 25 et 26). Pugnandum igitur est et cum voluptate et cum cupiditate; itaque hae pugnae non ita multum inter se differunt. Hoc ita esse et cupiditatem una cum laboribus enumerari ex Dionis ipsius oratione IV, (§ 24) elucet, ubi praescribitur regi, ut sit ἀνίκητος ὑπὸ παντὸς πόνου καὶ ἐπιθυμίας. Eandem commixtionem videmus apud Lucianum vit. auct. 8 στρατεύομαι ὥσπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τὰς ἡδονὰς οὐ κελευστὸς [cf Ep. X κἂν μηδείς σε ἐπείγῃ] ἀλλ' ἑκούσιος, ἐκκαθᾶραι τὸν βίον προαιρούμενος. Quod Diogenes, Herculis exemplum sequens, ἐκκαθᾶραι τὸν βίον προαιρεῖται, fonti y aptum est, quod στρατεύεται ἐπὶ τὰς ἡδονάς, fonti x; concinnior esset sententia, si ἐπὶ τὰς ἐπιθυμίας legeremus, sed Lucianus hoc leve discrimen, quod est inter ἐπιθυμία et ἡδονή, non curavit.

Comparemus nunc narrationem β (IX 14—20) cum Diog. epict. XXXI, qua Cicermus stultitiae convincitur;

*) cf. Duemmler Antisth. et quae supra exposui.

sunt, quibus hi duo dialogi inter se differant. Parvi momenti est, quod Dionis colloquium in Isthmo fit, epistolographi Olympiis, quodque apud Dionem Diogenes σταδιονίκην coarguit, in epistula Cicermum παγκρατιάστην. Maius discrimen est in argumentis, quibus apud utrumque victor coarguatur; Cicermus cum deteriores vicerit, non habere dicitur cur glorietur, Dionis autem victor, cum nihil maius fecerit, quam si formica formicam vicisset. Illam argumentandi rationem in sola epistula, hanc apud solum Dionem legimus. Etiam in aliis causis, quarum minor vis est, in diversas partes digrediuntur. Maximum autem est, quod in epistula illius colloquii consilium est, ut contra labores bellum gerendum esse hominibus demonstretur, quod nisi gererent, beate vivere non possent, Dionis autem dialogi plane aliud est consilium; qui si illam pugnam commendare voluisset, easdem quas epistulae auctor, causas attulisset (quales iam supra ex IX α petivi); dicit enim Diogenes in epistula Cicermum deteriores vicisse neque omnes, ne se quidem ipsum; cum autem consenuerit, futurum non iam esse, ut hoc certamen subire possit; proinde τοὺς πόνους adversarios sibi opponat ex quibus victis maiorem utilitatem capturus sit, quosque etiam senex vincere possit.

Quantum hae causae distant a Dionis? Accedit, quod in epistula nullae res immiscentur, quin ad § 4, id est pugnam cum laboribus commendandam, pertineant. Dionem vero videmus narrandi voluptate captum magnam copiam argumentorum afferre, quibus vivendi praeceptum nullum datur neque quidquam nisi victoris stultitia vanitasque earum rerum, quibus studeat, comprobatur. Nullo alio sententiae vinculo has dialogi partes contineri vel ex singularum coniunctione intellegas: § 15 ad § 16, cum inter se contraria praebeant, bene adiungitur, sed, quod iam antea monui, ante πόσον δὲ ...... et ante οἱ δὲ κόρυδοι et sententiae et verborum hiatus est. Deinde τῶν φαυλοτάτων θηρίων χείρων πέφυκας et οὐκ οἶσθα ὅτι τὸ τάχος δειλίας σημεῖόν ἐστιν, cum plane diversi generis sint, tamen ita coniunguntur, ut obiter legenti videri possit aliqua inter ea ratio intercedere. Denique duae § 19 partes parum inter se cohaerent. Cum hoc igitur colloquio in tot particulas discidente epistulae non magna similitudo

est. Itaque Dionis disputatio (β) et epistula formam tantum narrationis (Diogenem artem athletarum deridentem) communem habent, res ipsae, quae tractantur, diversae sunt.*)

Immo haec, imprimis si § 4 spectas, multo propius abest a Dionis or. VIII fonte x et IX α. In utraque enim exponitur cum hominibus certare homine indignum esse, labores adversariorum loco habendos esse. Contra, quibus causis in or. VIII et IX α et quibus in epistula sententia illa his communis comprobetur et quo quisque auctor vestimento colloquii utatur, differunt. Sed hic non (ut antea VIII 11 ex IX 10 (α) duximus), aliam ex alia forma deducere possumus. Utraque enim forma proprium ingenium, propriam speciem prae se fert, utraque igitur ad primos Cynicos redire videtur. Accedit quod eandem victoris deridendi rationem, quae in epistula est, etiam in Cynico pseudolucianeo, § 19, invenimus: τοὺς δὲ χρυσοὺς στεφάνους καὶ τὴν πορφύραν τῦφον νομίζων καὶ τῶν ἀνθρώπων καταγελῶν (cf. ep. XXXI λῆξον τοῦ τύφου) Diogenes quoque Laertius eandem rem tradit apophthegmatis in formam redactam, VI 43 Νικᾷ Δέξιππος ἄνδρας· Οὗτος μὲν δὴ ἀνδράποδα, ἄνδρας δὲ ἐγώ. (cf. Dion. IX § 10 ἀνδράποδα) Dionem consentire in victore deridendo iam vidimus.

Itaque ex duobus velut elementis epistula conflata est, quorum utrumque ex aliis quoque scriptoribus cognovimus: Prius est Diogenes hominibus labores, quibus adversariis utantur, proponens (hoc cum fonte x consentire statuimus), alterum est Diogenes Olympionicam stultitiae coarguens.

---

*) Sensisse hoc videtur etiam Capellius, qui pg. 40 haec habet: „*Dixerit forsitan quispiam interesse aliquid inter epistulam et Dionem, in epistula enim victorem omnino quod vicisset, apud Dionem autem stadii ipsius victoria gaudere absurdum esse Diogenes demonstrat, qua re argumenta singula omnino diversa sunt*“. De fonte autem hoc dicit: *nullus nisi dialogus fuisse potest, cuius persona Diogenes erat, nimirum dialogus cynicus. Dionem autem et epistolographum eundem dialogum reddere propter differentias, quas supra commemoravi, non verisimile est*“. Sed neque harum differentiarum naturam satis perspexit, neque illius discriminis, quod statuimus inter Dionis § 11—13 et 14—20, rationem habuit, quod si fecisset, certiora invenisset.

Talia de Diogene vulgo narrabantur, quibus acuminis plena et expedita disputandi et persuadendi vis demonstraretur. Itaque vario modo commutari et amplificari poterant causisque, quibus Diogenes, cum disputaret, usus esset, additis exornari; sic enim explicatur magna illa argumentorum copia, quam etiam nos legimus. Ex illa vero narrandi consuetudine altera ex parte ea fabulae forma prodiit, quam epistula praebet — rem cum fonte x consentire iam dixi — altera ex parte Dionis narratio β; cuius partes cum satis male inter se cohaereant, vides Dionem aliis auctoribus debita*) confersisse neque id magna diligentia, quippe qui singularum rerum facetiis, non orationis concinnitate maxime gauderet.

Nunc ad minores orationis IX narrationes nos conferamus, quas tractantes saepe ad or. VIII revocabimur.

Ac primum quidem, quod legimus

IX 1: ἐπισκοπῶν οἶμαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὴν ἄνοιαν αὐτῶν, ad verbum fere consentit cum

VIII 6: ἐλέγχοντα καὶ κολάζοντα τὴν ἄνοιαν αὐτῶν ······ εἰώθει γὰρ ἐπισκοπεῖν ἐν ταῖς πανηγύρεσι τὰς σπουδὰς τῶν ἀνθρώπων ········

Sed haec Dionis esse possunt.

Quae IX 4 copiose exposita habemus, etsi in or. VIII leviter tantum tanguntur, eiusdem fontis esse videntur. Eiusdem deinde rei, quae IX 7 narratur, Diogenem Laertium testem afferre possumus, VI 27 σπουδαιολογουμένῳ ποτὲ ὡς οὐδεὶς προσῄει ······; verbis vero et forma orationis valde differunt Dio et Diogenes; apophthegma illud multo aptius est Cynicorum dicendi generi, Dio autem vel eius auctor putandus est missa apophthegmatis forma sententiam tantum illi subiectam reddidisse; eadem origo etiam nunc cognoscitur verbis σπουδαιολογουμένῳ et σπουδάζοντος similibus. Deinde IX 8 τοὺς δὲ σεμνοὺς εἶναι βουλομένους καὶ μέγα φρονοῦντας ἐφ' αὑτοῖς διὰ πλοῦτον ἢ γένος ἢ ἄλλην τινὰ δύναμιν, τούτους μάλιστα ἐπίεζε καὶ ἐκόλαζε πάντα τρόπον conferas cum VI 21 μάλιστα δὲ ὕβριζε τοὺς σοφιστὰς τοὺς σεμνοὺς εἶναι βουλομένους καὶ πλέον τι τῶν

---

*) cf, Capellium, pg. 43 „*Illa quoque sophistica de Hercule et Achille plane mira aliunde Dionem sumpsisse mihi persuasum est*".

ἄλλων εἰδέναι οἰομένους. Confer etiam VIII, 9 καὶ δὴ καὶ τότε ἦν περὶ τὸν νεὼν τοῦ Ποσειδῶνος ἀκούειν πολλῶν μὲν σοφιστῶν κακοδαιμόνων βοώντων καὶ λοιδορουμένων ἀλλήλοις —— Idem sophistarum odium cum in aliis quoque Dionis orationibus, ubi nulli fonti se applicat, appareat, etiam has sententias Dionem de suo addidisse censebimus. Praeterea multis locis hoc vel illo describendi lineamento, cuius originem non iam investigare possumus, libere usus esse videtur; exemplo esse potest VIII § 12 ὥσπερ εἰώθει ὑποβλέψας, quod ex eodem fonte fluxisse videtur, ex quo Luciani (vit. auct. 7) Δέδια τὸ σκυθρωπὸν αὐτοῦ καὶ κατηφές —— οὐχ ὁρᾷς ὡς διῆρται τὸ ξύλον καὶ συνέσπακε τὰς ὀφρῦς καὶ ἀπειλητικόν τι καὶ χολῶδες ὑποβλέπει; et Dionis ipsius IV 24 δεινὸν ὑποβλέψας.

Talia lineamenta nescio unde petita Dionis narrationibus permulta inesse quis negaverit!

Postquam ita orationem VIII et IX tractavimus et inter se comparavimus, concedere debemus, quod iam alii viderunt, summam inter eas similitudinem esse, ita, ut fontibus maximam ad partem paribus, consilio tantum, quo quaeque sit scripta, differant. Orationis VIII consilium est, ut demonstretur, quae Diogenes de perferendis laboribus et fugiendis voluptatibus docuerit Hercule praestantissimo exemplo usus. Itaque eae res, quae de Diogenis vita et moribus proferuntur, secundas partes agunt, proemii locum tenent.

In oratione vero IX quod de Diogenis vivendi et docendi ratione narratur, caput est, idque potissimum agitur, quomodo, non quid docuerit; desunt igitur longae explicationes, leguntur tantum breves narrationes et colloquia, quibus illius natura optime describatur.

De oratione X.

Tota decima oratione colloquium narratur, quod Diogeni cum homine quodam Delphos iter faciente fuerit. Duas eius iam primo obtutu partes cognosces. Quarum priore (§ 2—17) exponitur stultum esse, quod homines servos habeant, ex

quibus nihil nisi detrimentum et damnum capiant; sub finem autem huius partis prioris illa sententia ita in universum amplificatur, ut dicatur omnino bonum non esse, quod quidquam homines possideant, omnem possessionem nocere, beatissime autem vivere animalia, ὅτι ἀκτήμονά ἐστιν. Qui dialogus, cum uno tenore fluens in se optime cohaereat cumque eius sententiae aliam alia bene excipiant, ut apud Dionem unus est, ita etiam ex uno fonte mihi videtur fluxisse; qua quidem in re quanta Dionis sint, quanta fontis, cognosci vereor ne non possit.

§ 17 incipitur altera pars, cuius propositum inveniri potest in verbis ἀδύνατον ἢ θεῷ ἢ ἀνθρώπῳ χρῆσθαι ἢ αὐτὸν αὑτῷ μὴ ἐπιστάμενον — vide, quomodo verbo χρῆσθαι ludatur —. Cuius sententiae argumentatio datur usque ad § 23, deinde ex contrario comprobatur, quantum quis damnum sibi parare possit, si rei ignarus deum consulat; exempla sunt Oedipus et Croesus et Orestes.

Tum, ut versus prioris partis finem illius sententia amplificata est, ita hic in universum dicitur, si quis bene se ipsum noverit, ne ullo quidem ei oraculo opus esse, Denique, quae Oedipus fecerit et passus sit, in ridiculum vertuntur. Quantum inter has duas orationis partes discrimen est! Nullam inter eas rationem intercedere video. Ex Cynicorum doctrina utraque fluxit, sed diversi generis sunt. Discidit igitur magis quam dividitur oratio in duas partes. Quae quomodo a Dione compositae sint, quaeramus.

§ 2 Diogenes obviam venienti dicit: „Stultus es, inquit, quod conaris deo uti, cum nescias servo uti; quamquam illud hoc multo difficilius est“. Quomodo autem hanc opinionem ei persuadet? Quae inde a τί δὲ καὶ βουλόμενος sequuntur, hanc argumentationem, quam postulamus, non praebent, sed in altera tandem dialogi parte legimus: „si qua re uti vis, debes eam penitus novisse, itaque, ut deo uti possis, deum te novisse opus est, ut deum noveris, hominem, ut hominem noveris, te ipsum: ergo γνῶθι σαυτόν, quod nisi feceris, deo uti non poteris“. Haec illius propositi (§ 2) argumentatio esse iudicanda est. Mittamus igitur in praesens § 3—17 et videamus, num altera orationis pars re vera sententiae § 2

prolatae plane apta sit: § 2 ἐπιχειρεῖς θεῷ χρῆσθαι, οὐ δυνάμενος ἀνδραπόδῳ χρήσασθαι confer cum 22: ἀνθρώπῳ δὲ χρῆσθαι ἀδύνατος ὢν θεῷ ἐπιχειρεῖς. Omnia consentiunt praeter ἀνθρώπῳ et ἀνδραπόδῳ. In altera parte id summum est, ut homo homines, imprimis se ipsum noscat, ut homine uti sciens deo uti possit; opponuntur igitur inter se homines et deus, de servis autem tota hac parte nihil dicitur. At contra § 2 deo servus opponitur, nihil de homine noscendo dicitur. Haec non bene conveniunt, sed in verbo ἀνδραπόδῳ difficultas quaedam haeret, quae, si pro ἀνδραπόδῳ legeretur ἀνθρώπῳ, removeretur.

Sed nunc priorem partem inspiciamus, quomodo ad § 2 adnexa sit. Cum Dio dicat periculosius esse deo uti quam servo, ἢ οὐ δοκεῖ σοι τοῦτο ἐκείνου ἧττον χαλεπὸν καὶ ἐλάττονα ἔχειν κίνδυνον τοῖς οὐ δυναμένοις χρήσασθαι ὀρθῶς, dicit iam difficile esse servis uti, si quis non recte sciat; haec ultima sententia de servorum periculo dicta, quae ipsa quidem non aperte dicitur sed ex verbis enodari debet, ea quae proxime sequitur satis longa disputatione comprobari videtur. Sed quod maximum esse debuit, omnino deest: Non enim respicitur ad verba τοῖς οὐ δυναμένοις χρήσασθαι ὀρθῶς. § 2 enim dicitur, iis tantum qui quomodo utantur nesciant, servos — quanto magis deum! — periculo esse, at, si totam perlustras priorem partem, invenies omnibus hominibus servos nocere dici; utrum quomodo utantur homines sciant an non, minime curatur; immo eo pertinet tota haec colloquii pars, quod in ultimis eius sententiis cynicae philosophiae aptissimum dicitur, nihil possidere optimum esse. Itaque haec quoque quaestio eodem nos ducit, quo prior illa, ut iudicemus partem I illius propositi (§ 2) argumentationem minime praestare, sed eam nos invenire, si in praesens illam verborum inconcinnitatem non nimis urgemus, in parte II.

Tamen parte priore carere non possumus. Nam si deesset, cur tot verba de servo, qui evasisset, in proemio fierent, non intellegeremus. Equidem puto et partem I et partem II in primis orationis enuntiatis radices suas habere. Nam quod narratur ille homo servum elapsum quaerere, cohaeret cum Diogenis opinione de servis prolata (§ 3 seqq.) et quod ille homo deum consulere vult, cohaeret cum Dio-

genis praecepto de sui cuiusque ipsius cognitione dato. Primae igitur paragraphi cum utraque dialogi parte firmo quodam vinculo coniunctae sunt, quantocumque spatio hae ipsae inter se distent. Quod si ita est, suspicari debemus, etiam in illis primis enuntiatis hoc vel illud vestigium investigari posse, ex quo duas hic res commixtas esse cognoscatur.

Atque quod in § 2 θεῷ et ἀνδραπόδῳ inter se opponuntur, etiamsi quod de his verbis antea dixi non curas, cum ratione logica pugnat; recte opponerentur θεός et ἄνθρωπος. Sed ne quis ita mutet monendum hoc est: ἀνδραπόδῳ parti I aptum est, cum parte II autem non coit, ἀνθρώπῳ vero, quod parti II bene convenit, si scriberemus, omnis, quae est de servis disputatio, quasi in aëre suspensa esset; vestigium igitur hic habemus, quo perspiciatur prooemium ex duabus rebus esse conflatum. Hoc si tenemus, alio quoque loco incisionem facere poterimus. Enuntiatum enim μέλλων δὲ διὰ Βοιωτῶν ἰέναι, ὁ γὰρ παῖς ὁ μετ' ἐμοῦ πορευόμενος ἀπέδρα, νῦν ἐπὶ Κορίνθου ἄπειμι· ἴσως γὰρ ἂν εὕροιμι καὶ τὸν παῖδα parti I tantum aptum est, periculum autem, quod sit in consulendo deo, alteri parti. Accedit, quod verbis τί δὲ καὶ βουλόμενος transitio ad priorem partem nimis abrupte fit. Hae causae adduxerunt me ut conicerem orationem decimam — de § 23 seqq. infra dicam — ex duabus Cynicorum diatribis ita compositam esse, ut earum prooemia vel dialogorum vestitus in unum redigerentur et post priorem tractatam aliqua verba transitionis faciendi causa insererentur, (§ 16). Quo melius, quid censeam perspiciatur, orationis nostrae prooemium dividam in duo quorum prius prioris partis, alterum alterius sit. Sed ne quis putet me his verbis illas, quibus Dio usus sit, diatribas restituere velle neve nimis urgeat, quae dicam.

Ac priori diatribae haec fere censeo tribuenda esse:

'Απιὼν ποτε Διογένης ἐκ Κορίνθου 'Αθήναζε συνέβαλε ἑνὶ τῶν γνωρίμων καὶ ἤρετο ποῖ ἄπεισιν ···· καὶ ὅς ἔφη, Ὦ Διόγενες, μέλλων διὰ Βοιωτῶν ἰέναι, ὁ γὰρ παῖς με ὁ μετ' ἐμοῦ πορευόμενος ἀπέδρα, νῦν ἐπὶ Κορίνθου ἄπειμι· ἴσως γὰρ ἂν εὕροιμι ἐκεῖ τὸν παῖδα. Καὶ ὁ Διογένης, τί δὲ καὶ βουλόμενος, εἶπε, ζητεῖς τὸν παῖδα; ἢ οὐκ ἦν πονηρός; ····· usque ad § 16 ἀκτήμονά ἐστιν.

Alterius haec fere esse potuerunt: ['Απιών ποτε Διογένης ἐκ Κορίνθου 'Αθήναζε συνέβαλε κατὰ τὴν ὁδὸν ἑνὶ τῶν γνωρίμων καὶ ἤρετο ποῖ ἄπεισιν,]*) καὶ ὅς ἔφη, Ὦ Διόγενες, πορεύομαι εἰς Δελφοὺς τῷ θεῷ χρησόμενος. Καὶ ὁ Διογένης εἶπεν, ὥσπερ εἰώθει σπουδάσας. 'Επιχειρεῖς οὖν, καταγέλαστε, θεῷ χρῆσθαι οὐ δυνάμενος ἀνθρώπῳ χρήσασθαι; ἢ οὐ δοκεῖ σοι τοῦτο ἐκείνου ἧττον χαλεπὸν καὶ ἐλάττονα ἔχειν κίνδυνον τοῖς οὐ δυναμένοις χρήσασθαι ὀρθῶς; sequuntur quae nunc § 17 legimus. In illa igitur diatriba ἀνθρώπῳ scriptum erat, sed cum Dio contaminaret, in ἀνδραπόδῳ mutatum est, quo melius adiungi posset illa de servis diatriba. A Dione autem hanc contaminationen factam esse verisimillimum mihi videtur neque dubito, quin in iis, quos nobis praebet, dialogis multa sint ab ipso ornandi et amplificandi causa addita.

Priusquam alios scriptores afferamus, — non multi afferendi erunt — quaeramus, quomodo, quae post § 22 sequuntur, cum dialogo altero cohaereant.

Tota disputatio eo pertinet et spectat, quod sub finem § 22 pronuntiatur: Σεαυτὸν δὲ ἀγνοῶν ἄνθρωπον ἀγνοεῖς, ἄνθρωπον δὲ οὐκ εἰδὼς χρῆσθαι ἀνθρώπῳ οὐ δυνατὸς εἶ, ἀνθρώπῳ δὲ χρῆσθαι ἀδύνατος ὢν θεῷ ἐπιχειρεῖς, (cf. § 2) ὃ τῷ παντὶ μεῖζον καὶ χαλεπώτερον ἐκείνου ὁμολογοῦμεν εἶναι. Quibus dictis id quod demonstrandum erat, demonstratum est, nec plura desiderantur. Tamen, quamquam antea Diogenes et homo ille consentiunt deum consulere τῷ παντὶ μεῖζον καὶ χαλεπώτερον εἶναι, quam homine uti, denuo, quasi concessum nondum esset, de hac re disputatur (§ 23 – 27). Exponitur enim diis non eandem quam hominibus linguam esse saepissimeque homines alia deo dicente alia animis suis comprehendere.

Cuius rei exempla afferuntur Laius, Croesus, Orestes. Haec aut ante quam illa de sua cuiusque cognitione disputatio conficeretur, proferri debebant, aut omnino omitti; eo, quo leguntur, loco parum logice cum totius disputationis ratione consentiunt. Itaque iam hac re mihi probari videtur § 23—27 ab illa diatriba II aliena fuisse. Sad manifeste hoc apparet,

*) Quae omisi, utrum diatribae I an II tribuenda sint, valde dubium, nisi forte Dionis ipsius sunt.

si Platonem,*) Herodotum, Euripidem inspicimus. Compilavit Dio ex illis, quos penitus noverat, ornandae et amplificandae orationis suae causa. At contra quae inde a σὺ οὖν ἐάν μοι πεισθῇς sequuntur, illius diatribae mihi videntur esse. Nam, ut in priore disputatione primum dicitur illum hominem, quod servum fugientem quaerat stulte agere, deinde in universum enuntiatur omnino bonum non esse quidquam possidere, ita his primum dictur illum hominem stultum esse, cum se ipsum non noscens deum consulere studeat, deinde hoc ita amplificatur, ut dicatur omnino homines, si modo se ipsos bene noverint, deum consulere non debere. Ita iis, quae § 27 et 28 dicuntur, illa diatriba optime conficitur, secundum Cynicorum nimirum rationem.

Tamen hac disputatione absoluta Dio non satis habuit, sed velut appendicem**) orationi suae addit illa quae de Oedipode § 29—32 legimus.

Primum enim, ut ait, Oedipus ne consuluit quidem deum sed a Tiresia certior factus est matris suae maritus esse; sed in antecedente disputatione nihil nisi de deo consulendo agebatur. Deinde quae sequuntur, quid ad oracula pertinent! Quid, quod Oedipus πρῶτον μὲν πᾶσιν ἐποίησε φανερόν, quod tam moleste tulit seque ipse caecavit? Quid sphingis aenigma? In omnibus his (§ 29—32) minime id agitur ut comprobetur, quanto sit damno oraculum homini se ipsum non noscenti, sed id spectatur, quanta fuerit stultitia Oedipus ille ab hominibus iniuria sapiens putatus. Stulte egit quod Tiresiae vaticiniis tantum tribuerit, stulte, quod non omnibus Thebanis τὸ μητρὶ μίγνυσθαι lege sanciverit, stulte, quod ἐτύφλωσεν ἑαυτὸν ὥσπερ οὐ δυνάμενος βλέπων πλανᾶσθαι. Hoc loco vere παραχαράττεται τὸ νόμισμα, exponuntur, quae antea inaudita fuerint; haec de Oedipode iudicandi ratio mere cynica est, cynicissime quae Oedipus fecerit, in ridiculum detorquentur, omnis ei sapientia, ab hominibus semper magnis laudibus elata, detrahitur.

*) cf. Hagen. Quaest. Dion., ubi locus Platonis Cratyl. 39 d laudatur, idem, quo Dio or. XI utitur. Cf. etiam Duemml. Antisth. pg. 39.

**) appendicem hanc esse videmus ex verbis: ὃ δὲ ἔλαθέ με περὶ τοῦ Οἰδίποδος εἰπεῖν.

Eadem interpretandi ratione hic Cynici utuntur, qua in Prometheo eos usos esse ex oratione octava cognovimus. Manifestius, quo consilio haec de Oedipode dicta inventa sint, discimus ex § 31 ubi explicatur Oedipum minime fuisse συνετώτατον πάντων; sphingis enim aenigma eum non solvisse. Itaque haec omnia ex alio fonte fluxisse iudicanda sunt, quam ex quo § 17—22 et § 28, proferuntur autem hic, primum quod praeclarissime ex iis Diogenis philosophandi ratio cognosci potest, deinde quod aeque ac in illa diatriba (§ 17 seqq.) de homine se ipsum non noscente agebatur; eo magis autem Dio haec loco idonea putabat, quam iam antea Oedipodis mentionem fecerat. Fontis vero, quam hic excerptam cernimus, argumentum hoc fere fuisse potest:

Oedipus ille quem homines omnes sapientissimi viri nomine dignum esse putant, indignus hoc nomine est; nam sphingis aenigma non solvit — se ipsum enim eum cognoscere illa iussit — sed cum illam, nescio quo modo, effugisset, se ipse sapientem arbitratus hoc Thebanis persuasit. Re vera omnium stultissimus fuit. Itaque, ut omnes stulti, qui sapientes se putant, misere vivunt, ita ille quoque κάκιστα ἀπώλεσεν; sequebantur, quae stulte egisset quantumque ex singulis rebus stulte gestis damnum cepisset.

Uberrime ex his vereor ne tractatum fuerit, quod, cum matrem suam in matrimonium duxisset, tam moleste tulisset. Sed de hac re infra plura dicenda erunt.

Nunc aliorum auctorum locos, ex quibus orationis nostrae naturam accuratius cognoscamus, afferemus:

Quod disputatur priore illa diatriba servos homini utilitati non esse, etiam in Diogenis quodam apophthemate a Laertio, VI 55, servato est: Γελοῖον, εἰ Μάνης μὲν χωρὶς Διογένους ζῇ, Διογένης δὲ χωρὶς Μάνου οὐ δύναται.

Magni momenti est Xen. Mem. IV 24--27. Omni huic loco cum Dionis § 17 seqq. magna similitudo est, multae sententiae apud utrumque leguntur, velut Xen. § 24 in Dionis § 22. Sed quo Dionis tota disputatio spectat, ea dico, quae de deo consulendo homini suadentur, apud Xenophontem non leguntur. Itaque non putaverim Xenophontem fontem principalem fuisse, sed Dionem, cui hic Xenophontis sui locus certe obversabatur, colores tantum quosdam, sed satis multos

in explicationem suam, cynicae diatribae debitam, immiscuisse eodem modo, quo ex Platone illa*) sumpsit (§ 23). Quae § 28 exponit, nihil nisi Cynicorum esse possunt eandemque sententiam de oraculis consulendis vel, ut rectius dicam, non consulendis legimus Plut. de def. or. XVIII, a Cynico quodam, cui nomen Planetiades fuit, prolatam. Sed cum alia via eius disputatio ingrediatur, hoc loco ea uti non possumus. Quanti momenti sit, ut homines se ipsos noscant, Cynicos summo studio, summo ardore, semper monuisse nemo est quin sciat, de fonte autem Dioneae disputationis nihil ex aliorum locis ut concludam mihi contigit. At nonne neglego Epictetum, qui diss. III 1, 16—18 dixit Apollinem, quamquam sibi persuasisset homines consilia, quae daret, secuturos non esse, tamen oracula iis dare, neque aut Laïum oraculo obtemperavisse aut alios illud γνῶθι σαυτόν sequi? Laïum igitur et illud praescriptum celeberimum in una explicatione, ut apud Dionem, habemus. Sed non eadem quae apud Dionem, ratio inter ea intercedit, sed apud Epictetum illi praescripto cum Laii stultitia plane nihil commune est, apud Dionem autem artissime hae duae res cohaerent. Deinde Epicteto Laïus exemplum est inoboedientiae, Dionis autem Laïus Apollinis oraculum, cum ambignum sit, non recte intellegit, quippe qui deo uti nesciat. Aliud igitur Epictetus, aliud Dio argumentari vult. Ceterum si duo scriptores Laii oraculum afferunt, ex hac sola re nihil de fontium consensu concludi debet, nam Laii mythus inter pervulgatissimos semper fuit.

Quae Dio § 30 seqq. dicit, ad tragoediam a Diogene vel a discipulo quodam eius scriptam redire videntur.**) Quaerendum autem est, num haec omnia unius originis sint numque ex tragoedia illa ipsa hausta sint. Iam a Webero Sextus Empiricus allatus est, quo auctore Zeno dixisset nefarium non esse τῇ μητρὶ μίγνυσθαι Oedipumque huius incestus exemplum attulisset. Etiam Persarum illa consuetudo a Sexto, ut a Dione, affertur. Itaque Weberus contendit Zenonem et Dionem

---

*) vide pg. 64.

**) cf. Duemmler Antisth. pg. 68. Weber l. c. pg. 145 seqq.

eodem fonte usos esse huncque fuisse Diogenem; quod non plane mihi probatur. Ad Diogenem illum quidem utriusque explicationem redire non negarim, sed utrum uterque ex eodem libro hauserit an non, cum tam pauca nobis servata sint, statuere non possumus. Praeterea Zeno ea facillime ex Cynicorum ipsorum oribus discere poterat; fuit enim discipulus Cratetis, cuius magister Diogenes fuerat. Praeter Sextum autem Cononem mythographum adhibere debemus, cuius in narratione IX haec leguntur: λέγει δ' ὡς ἡ Σεμίραμις αὐτῇ τῷ υἱῷ λάθρα καὶ ἀγνοοῦσα μιγεῖσα, εἶτα γνοῦσα ἄνδρα ἐν τῷ φανερῷ ἔσχε, καὶ ἐξ ἐκείνου, πρότερον βδελυκτὸν ὄν, Μήδοις καὶ Πέρσαις καλὸν καὶ νόμιμον ἔδοξε μητράσι μίγνυσθαι. Cum his confer Dionis verba § 29 et 30: ἔγνω γὰρ ὅτι τῇ μητρὶ συνεγένετο (nescius igitur concubuerat aeque ac Semiramis) ······ καὶ μετὰ ταῦτα, δέον ἴσως κρύπτειν τοῦτο ἢ ποιῆσαι νόμιμον τοῖς Θηβαίοις ······ οἱ δὲ ἀλεκτρυόνες οὐκ ἀγανακτοῦσιν ἐπὶ τούτοις ······ οὐδὲ οἱ Πέρσαι, καίτοι δοκοῦσι τῶν κατὰ τὴν 'Ασίαν ἄριστοι. Quod illic Semiramis fecisse fertur, hic Oedipodi suadetur vel opprobrio datur, quod non fecerit, Persisque illum morem fuisse ut cum matribus matrimonium haberent, apud Cononem Dionemque pariter exstat. Haec aliquo modo inter se cohaerere debent.

Idem tradit Sextus Hyp. III 205 Πέρσαι δὲ καὶ μάλιστα αὐτῶν οἱ σοφίαν ἀσκεῖν δοκοῦντες, οἱ Μάγοι, γαμοῦσι τὰς μητέρας, neque, quod magnum est, hoc cum Stoicorum praeceptis eodem loco narratis cohaeret, sed omnino per se valet; verba enim, quae sequuntur, ἀλλὰ καὶ ὁ Κιτιεύς Ζήνων luce clarius demonstrant Zenonem velut novum testem, cui cum antea allatis nihil commune sit, afferri. Itaque quamquam illud quidem Zenonis praeceptum de incestu datum ad Diogenem redire concedendum est, tamen nulla re cogimur etiam id, quod de Persis narratur, Diogeni tribuere. Si Diogenes incestum defendit, talibus fere causis argumentatus esse putandus est, quales Dio § 30, οἱ δὲ ἀλεκτρυόνες ······ et Zeno apud Sextum Hyp. III 205, praebet; haec enim Stoicorum argumentatio maxime eorum philosophiae originem, Cynismum dico, redolet. De Persarum igitur more, quo incestus admittebatur, docemur duobus locis (Cononis et Sexti), qui neque ex Stoicis neque ex Diogene pendere videntur.

Ut paucis verbis, quid de orationis decimae natura iudicem, complectar, videtur mihi Dio hac in oratione maiore quam in ceteris libertate usum Διογένους λόγους rettulisse. Vidimus partem alteram tractantes, quanta Xenophonti, quanta Platoni, quanta alii fonti (§ 29—32) debeat, quaeque ipse de se addiderit (§ 24 seqq.); non multa igitur restant, quae illi Cynici cuiusdam scripto tribuenda sint. Quod igitur dixeram diatribam illud fuisse, nunc ita erit restringendum, ut dicamus, partis alterius fundamentum fuisse narrationem aliquam, quae de Diogene tradita sit, sive χρείαν sive ἀπομνημόνευμα [1]) nominemus. Atqui pars prior, si viam, qua disputatio ingreditur, et genus dicendi spectas, parti alteri simillima est, similiterque sub utriusque partis finem res antea tractata in universum amplificatur (§ 14—16 et § 28).

Ergo non abest suspicio, quin Dio etiam in hac parte conscribenda ad ea, quae in fonte invenerat, plurima de se addiderit; nihil nisi argumentum utriusque disputationis fonti debet, ubi vereor ne breviter tantum tractatum fuerit, explicatio autem illarum sententiarum, quae fortasse ipsius Diogenis fuerunt, Dionis est.

Antequam ab oratione decima discedam, difficultatem, quae in § 25 latere mihi videtur, removere conabor. Ibi enim primum legimus καὶ γὰρ ἐγέννησεν καὶ ἔθρεψεν, (Laius Oedipum filium) quamquam inter omnes constat Laium filium exposuisse. Deinde legimus ὁ δὲ οἴκοι τραφεὶς οὐκ ἂν ἀπέκτεινε τὸν πατέρα, quibus verbis dicitur Laius filium non educavisse, cum antea contrarium dictum esset; haec inter se pugnant. Tum deus non id Laio suasisse potest, ut filium, si procreasset, exponeret; quod si suasisset, cur Laio verbis ὁ δὲ οἴκοι τραφεὶς opprobrio daretur, quod exposuisset? Quas ob causas hic locus mihi corruptus esse videtur, quem ut sanemus, exeamus ab iis quae certa sunt: Ac primum tenendum est, Laium filium exposuisse. Deinde Laium deum non recte intellexisse ex Dione elucet. Tum oraculum tale fuisse de-

[1]) cf. Duemml. pg. 70. Weber pg. 83.

bet, quale facile in aliam partem ac dictum sit, accipiatur; sententia quaedam in eo occulta esse putanda est, quam primo obtutu nemo intellegere possit; nam Laius non recte intellexit, cum deus saepe ita loqui solitus sit, ut ab hominibus perverse intellegeretur, cf. § 24, σὺ δὲ οὐ δέδοικας μὴ ἄλλα τοῦ θεοῦ λέγοντος ἄλλα διανοηθῇς. Itaque nos oraculo illi Laio dato aliquid supponere debemus, quod neque Laius intellexerit, neque quisquam nostrum primo obtutu intellegat, ambiguam igitur sententiam ex eo enodare debemus. Priorem si interpretamur, vocem μὴ solum ad γεννᾶν referre opus est, suasit igitur deus primum ne Laius procrearet, deinde si procreasset, ut exponeret. Ut autem illam magis reconditam et inusitatam sententiam inveniamus, vocem μὴ ad totum enuntiatum referamus: suasit, si ita rem intellegimus, deus, ne procrearet neve, si procreasset, exponeret, Hoc deus dicere voluit, illud Laius intellexit; exposuit igitur filium qui οἴκοι τραφεὶς οὐκ ἂν ἀπέκτεινε τὸν πατέρα. Itaque pro ἔθρεψεν lego ἐξέθηκεν.*)

Illa autem corruptela aut librarii neglegentia orta esse potest, aut interpolatori, qui simpliciorem tantum oraculi sententiam perspexit, tribuenda est.

Orationibus, quae de Diogene sunt, ita absolutis nonnulla mihi addenda sunt. Legimus enim apud Weberum, pg. 103 haec: „*nescio utrum casu factum sit an dedita opera ut illa praeceptorum trias ad quam totus Cynismus redit***), *etiam Dionis orationibus inlustraretur: in or. enim VI p. 200 sqq.****) *Diogenes monet, ut homines secundum naturam vivant, in orr. VIII et IX, ut illud* Παραχάραξον τὸ νόμισμα *sequantur, in or. IX, ut se ipsum quisque cognoscat*“. Ac primum monendum est, ad illam praeceptorum triadem totum Cynis-

*) Pro ἢ (ἐκπιθέναι) cod. V. ἀλλά, codd. U. B. ἀλλὰ καὶ praebent, sed his lectionibus difficultas minime removetur.

**) De his disputat pg. 100—102.

***) § 8 sqq. editionis Arnimianae (et Emperii).

mum minime redire neque *„secundum has primarias eius philosophiae rationes totius illius sectae historiam conscribendam esse“* *).

Praecepta haec tantum sunt, ex philosophiae partis moralis principiis deducta; quae principia talia sunt, qualia, ut exemplum afferam, apud Laertium in vita Antisthenis, VI 11 sqq. legimus: Διδακτὴν ἀπεδείκνυε τὴν ἀρετὴν ...... αὐτάρκη γὰρ εἶναι τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν ...... αὐτάρκη τε εἶναι τὸν σοφόν ...... τἀγαθὰ καλά, τὰ κακὰ αἰσχρά, alia, vel apud Themistium, Mus Rhen. XXVII pg. 447 *„Nur das seinige sehe ich als das Gut des Menschen* (saepissime hoc Epictetus pronuntiat, ex quo praecepta sua ducat) *an und nicht das, was er von andern erworben hat, halte ich dafür; einen solchen halte ich für den Glücklichen* ...... et pg. 448 *„An diesem allen wird erkannt, dass es kein Gut giebt als die Tugend“* et similia. Optime Cynismi principium enuntiavit Zellerus, hist. phil. Graec. II, pg. 269: *„Der Grundgedanke des Cynismus ist die Selbsgenügsamkeit der Tugend“.***)

Postquam ita statuimus, quales vere fuerint cynicae doctrinae summae rationes, non iam in his numerabimus illam, de qua Weberus disputat, praeceptorum triadem; sed videamus quomodo haec praecepta ex illis summis rationibus deducantur; cum virtus, quae αὐτάρκης ἐστὶν πρὸς εὐδαιμονίαν, ἐν τῷ ζῆν κατὰ φύσιν sit, sequitur ut homo, qui beate vivere studeat, secundum naturam, id est, secundum hominis naturam, vivere debeat. H o c p r a e c e p t u m s u m m u m e s t. Quod qui sequitur, cum alia tum παραχαράττει τὸ νόμισμα. Quis hoc philosophiae rationem esse dicat? Aut quid Cynicorum in hoc praecepto proprium est — verborum usum cynicum esse non nego, sed hoc nihil ad rem —? Ex eo autem, quod praescribitur, ut secundum suam quisque naturam vivat, sequitur etiam ut suam quisque naturam cognoscere debeat. Illud γνῶθι σαυτόν nihil nisi illius summi praecepti sequendi instrumentum est. Itaque tria illa praecepta, de quibus Weberus loquitur, non paria inter se, non eiusdem generis

---

*) Weber pg. 102.

**) minime huius viri doctissimi sententia concutitur iis, quae Weberus pg. 100 contra illam exponit.

sunt, sed aliud ex alio pendet neque alterum a primo secerni potest orationibusque VIII et IX quasi proprium tribui.

Semper enim Cynicus, ubicumque aliam atque vulgus et inusitatam opinionem profert, — atque hoc fere ubique facit — παραχαράττει τὸ νόμισμα. Quid, in oratione VI, quae de animalibus proferuntur, nonne contra hominum opiniones esse expresse dicuntur? in or. X, sub finem, nonne foedissime maximeque cynice παραχαράττεται τὸ νόμισμα? Itaque ad illam praeceptorum triadem totum Cynismum redire Webero concedi non potest,

Sed errat quoque, cum haec praecepta Dionis orationibus illustrari dicat. Illud παραχάραξον τὸ νόμισμα nullius orationis proprium, sed fere omnibus Cynicorum disputationibus commune esse iam notavi. Itaque, si orr. VIII et IX hoc praeceptum dari dicit, nihil dicit. Quae earum orationum argumenta, quoque consilio scriptae sint, satis multis verbis iam a me expositum est. Concedo Webero in or. VI praecipi, ut omnes secundum naturam vivant. Sed aliae quoque res ibi exponuntur; disputatur enim § 1—7 et § 35—60 de misera tyrannorum condicione; dimidium igitur orationis in alia re explicanda versatur. Deinde vita secundum naturam agenda non eo consilio commendatur, ut Cynicorum sectae principium illustretur; quod si fieret, altius hoc Dioni petendum fuit et ex illis, quae antea attuli, principiis ducendum. Immo eo consilio § 8—34 exponuntur, ut demonstretur earum rerum, quae regis sint quibusque homines tantopere invidere soleant, plurima καὶ ⟨τοῖς⟩ σφόδρα πένησιν ἐξεῖναι ποιεῖν; propterea de Diogenis moribus disputatur eiusque de sequenda natura praescripta referuntur; sed quod in parte tantum orationis valet, minime de totius argumento dicere nobis licet. Similiter in oratione decima τὸ γνῶθι σαυτόν, cum a priore parte plane alienum sit, in altera tantum parte illustratur neque hic magis de sua cuiusque ipsius cognitione res est, quam de deo consulendo sive non consulendo: Apollinis illud argumentandi tantum causa adhibetur, quo melius perspiciatur, quam difficile sit oraculis uti; ita suadetur, ut se quisque ipsum cognoscat, quod si recte faciat, ne ullo quidem oraculo opus sit. Certe monetur, quanta sit in sequendo illo praecepto utilitas, sed de hac

utilitate hactenus tantum agitur, quoad ad oracula pertineat, latius autem apud Cynicos illius Apollinis dicti vis patet. Ergo non possumus dicere decimae orationis argumentum esse, ut illud praeceptum, τὸ γνῶθι σαυτόν, illustretur.

Refutata ita Weberi sententia ea, quae ego de natura orationum VI, VIII, IX, X censam, paucis complectar. Iam in prooemio huius opusculi, antequam ad orationes Diogeneas ipsas accessimus, ex aliis Dionis orationibus nonnulla didicimus de consilio, quo ductus has orationes habuisset, quae fontium natura fuisset. Plura docuit nos interpretatio orationum ipsarum, ita ut nunc haec mihi videantur certa esse:

I Neque Cynicorum placita a Dione in has quattuor orationes consulto distributa sunt — quis scit, num omnes orationes Diogeneae nobis servatae sint — neque id Dio sequebatur, ut doctrinam eorum explicaret. Numquam ab iis, qui eum audiebant, ut Cynici fierent, postulabat, sed narrabat de Diogene, ut eos delectaret animumque eorum et ingenium excoleret.

II Cum Διογέναι, orationes nomine Diogenis inscriptae, servatae, Σωκράται autem perditae sint, Dio multo magis Cynicus esse apparet, quam fuit; re vera non minus Socraticis *), quam Cynicis philosophis ascribendus est;

*) Dionis studia Socratica cognoscuntur ex orationibus LIV et LV et iis, quae vel Homericae dici possunt, LIII, LVI—LVIII, LX et LXI. — Quantis in or. LV Socrates laudibus efferatur, iam supra commemoravi; in or. LIV Socrates Homeri discipulus dicitur, nam ὥσπερ Ὅμηρος διά τε μύθων καὶ ἱστορίας ἐπεχείρησε τοὺς ἀνθρώπους παιδεύειν, καὶ Σωκράτης πολλάκις ἐχρῆτο τῷ τοιούτῳ, ποτὲ μὲν σπουδάζειν ὁμολογῶν, ποτὲ δὲ παίζειν προσποιούμενος, τούτου ἕνεκεν ἀνθρώπους ὠφέλει (§ 11). Ut Homerus contra hominum vitia pugnans heroas inducit ita Socrates κεραμέας, σκυτοτόμους iisque similes. — De oratione LX legimus apud Duemmlerum, Antisth. pg. 74: *Egregium interpretationis cynicae exemplar est Dionis oratio LX, ubi Deianira eo pessumdedisse Herculem dicitur, quod ei persuasisset, ut habitu cynico molles vestes mutaret. Sentit Dio, quantopere a sensu proprio fabulam detorqueat, sed excusat se exemplo Socratis,* cf. Dion. or. LX § 9 seq. καὶ τῶν φιλοσόφων ἤδη τινὲς τοιοῦτοι γεγόνασιν, ὥστε ὁποῖον ἂν μῦθον ἢ λόγον λάβωσιν ἕλκοντες καὶ πλάττοντες κατὰ τὴν αὑτῶν

quo accuratius enim orationes eius perlustrabimus, eo minus genuini Cynici nomine nobis dignus videbitur; ceterum, ut fere omnes, qui eius aetate fuerunt, philosophi, non tam doctrinam, quam usum philosophiae moralis spectabat, neque uni alicui certae disciplinae se addixit. Ita etiam Stoica multa occurrunt apud Dionem, praecipue in orr. XII, XXXVI; ne Epicurae quidem desunt, ut sileam de multis aliis.

III De fontibus nunc pro certo dicere possum, Dionem sua praecipue recentioribus Cynicorum scriptis, in quibus quae Diogenes dixisset et fecisset, memoriae proditum erat, debere, quod genus traditionis nostra lingua „Diogenes legende“ vocamus.

Sed haec hactenus. Animum sane induxeram, ut de omnibus cynicae philosophiae vestigiis, quae in Dione cernimus, disputarem, quo melius, qualis eius Cynismus esset, cognosceretur, sed longioris et difficilioris hoc quaestionis erit, quam instituendam differo in posterum tempus.

διάνοιαν ὠφέλιμον καὶ φιλοσοφίᾳ πρέποντα ἀπέδειξαν· οἷον δὴ μάλιστα ἀκούομεν Σωκράτην γενέσθαι e. q. s. Dio igitur cum veterum fabulas ita interpretaretur, Socratis se vestigia sequi persuasum habebat. Quae interpretandi ratio in iis disciplinis, quae a Socrate originem duxerunt — imprimis Stoici Homerum allegorice interpretari solebant —, latissime patebat neque cui quamque interpretationem Dio debeat, certe sciri poterit. Accuratius de his orationibus disputare longum est, mihi satis est ad eas vocavisse.

Vita.

Natus sum Carolus Fridericus Ricardus Stutzmann Francofurti ad Moenum a. h. s. LXX die XXVII mens. Oct. patre Christiano, qui infanti mihi ereptus est, matre Carlotta e gente Giese; nunc Henrici Hahn, cui mater mea anno LXXV nupsit, cognomen fero. Fidei ascriptus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus sum in schola, quam dicunt Klingerschule. Deinde gymnasii urbani Francofurtensis fui discipulus; ibi quos habui praeceptores in me benevolentissimos, praecipue Carolum Reinhardt, cuius sub auspiciis gymnasium floret, Waldemarum Gillhausen, Christianum Baier, Maximilianum Banner, semper grata tenebo memoria.

Autumno anni LXXXIX maturitatis tentamine superato in Academiam Georgiam Augustam me contuli, ut studiis philologicis operam darem. Anno peracto academiam Berolinensem petii, cuius per bis sex menses civis fui. Autumno anni XCI Gottingam redii ibique moratus sum usque ad annum XCV.

Docuerunt me viri doctissimi: Curtius, Diels, Graef, Kekulé, Koehler, Tobler, de Treitschke, Waetzold, Berolinenses, Andresen, Baumann, Gercke, de Kluckhohn, Lange, Leo, Mercier, Sauppe, Stimming, Volquardsen, de Wilamowitz-Moellendorff, Gottingenses. Ad exercitationes philologicas Diels et Gercke, archaeologicas Graef, epigraphicas de

Wilamowitz, historicas Volquardsen, francogallicas Stimming et Mercier aditum mihi benique concesserunt.

Regii philologorum proseminarii Gottingensis sodalis fui per tria semestria, seminarii sodalis ordinarius per bis sex menses.

Omnibus illis viris, qui me docuerunt, praecipue vero Udalrico de Wilamowitz, qui ad hanc quaestionem de Dionis orationibus faciendam me incitavit et benigne semper consilio adiuvit, gratias ago semperque habebo.
